Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacerdos0000padu_l9l2

BÉZIERS
6, Rue du Bon Pasteur
C 86

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS.

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS

AUCTORE

P. ADULPHO PETIT, S. J.

TOTIUS OPERIS
EDITIO QUINTA ELIMATA.

ALMA COLLEGE
LIBRARY

SERIES QUARTA.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — 1908.

45210

Ego Josephus De Vos, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio Wernz, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, constans quinque voluminibus, a P. Adulpho Petit, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, post plures jam factas editiones iterum ex integro typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 16 Novembris 1906.

Locus sigilli. Josephus De Vos, S. J.

Imprimatur.

Brugis, 10 Januarii 1907.

H. Lahousse, *can. libr. cens.*

PRÆFATIO.

ANTE annos non adeo multos felix initium accepit praxis menstruæ recollectionis. Hanc ita fovere dignata est divina bonitas, ut in Belgio fere nullus jam sit locus, ubi singulis mensibus multi sacerdotes non conveniant in unum ad vacandum piis exercitationibus quibus se præparent ad comparandam sibi mortem in conspectu Domini pretiosam. Intellexerunt hanc vere christianam esse philosophiam, quovis momento mortis falcem exspectare, diem ultimam non quasi pœnam, sed quasi naturæ legem aspicere, animo semper ad æternitatem intento.

Utinam hanc philosophiam tandem capiant ii præcipue qui per omnem vitam nec vivere discunt, nec mori ; omnia tamquam mortales timent ; omnia tamquam immortales concupiscunt, nec quidquam minus cogitant quam quod maxime discendum est, mori. Frequentent et ipsi menstrua piorum sacerdotum

conventicula, et brevi experientur se frequentare scholam sanctitatis et bonæ mortis, in qua varia dantur monita, quæ omnia unum doceant, mortem prævidere et mortalia despicere.

Nos quidem, pro amore quo flagramus erga sacerdotes, voluimus eorum sanctos conatus in hoc saluberrimo studio, omni quo possimus modo, adjuvare, successive in lucem edendo tres exercitationum series. Undique pervenit ad nos exiguam hanc nostram opellam tantam accepisse a Deo protectionem, ut pauci jam inveniantur sacerdotes in quorum manibus non versetur noster « Sacerdos. »

Quod nostræ consolationis caput est, sponte fatentur multi nostri operis lectores se in eo invenisse multiplex lumen, ingens animi robur, et validos ad bene fungendum suo sacerdotio stimulos.

Quapropter ausus sum existimare me divinæ Providentiæ responsurum, si dilectissimo clero quartam offeram exercitationum seriem. Hæc autem a multis expetebatur tamquam complementum præcedentium.

Et re quidem vera prima series exhibet documenta et subsidia ad bene moriendum efficacissima ; altera proponit utilissima vitæ spiritualis principia, quibus se dirigere possit sacerdos ut ad status sui perfectionem certius perveniat ; tertia tota est in contemplatione vitæ laboriosæ Christi, ut per hanc contemplationem evadat quisque sacerdos alter Christus : restabat ergo ut oculis sacerdotis etiam objicerentur mysteria vitæ dolorosæ nec non gloriosæ amantissimi nostri Salvatoris, quod, ut confidimus, quarta series abunde præstabit.

Accipe igitur, o sacerdos, munusculum a me, quod non solum debitæ observantiæ et dilectionis testimonium præbeat, sed etiam cujusdam quasi monitoris fungatur officio, ut, si quando turbæ negotiorum te nimium premant, et a consueto studio certis horis Deo per orationem vacandi impedire conentur, is modeste suggerat, ut ejusmodi turbis ad modicum tempus exclusis, ad interiora et solita gaudia mentem revoces, et vel meditando vel legendo vaces, et videas « quoniam Dominus

ipse est Deus, » id est, solum verum, et summum, et sempiternum bonum ; cujus adeptio felicissimum, cujus amissio miserrimum hominem facit.

Humiliter rogamus Deum omnipotentem ut dignetur his pagellis copiosam impertiri benedictionem, qua ab Ipso donatæ quam plurimis prosint sacerdotibus ad propriam salutem et ad salutem aliorum.

Truncinii, 1895.

RECOLLECTIO I.

UT sacerdos merito dici queat *alter Christus*, necesse est ut sit vir *orationis*, vir *laboris*, vir *doloris*. Hucusque in nostris exercitationibus menstruæ recollectionis nos docuit Dominus *orare*, docuit et *laborare*. Optandum est jam nos *pati* doceat. Ut id dignetur nobis præstare, per continuos menses Eum contemplabimur *patientem*. Innumera sunt et exquisita quæ Christus nostra causa sustinuit tormenta. Vir ille dolorum, ut Eum vocat Isaias (LIII, 3), omnia extrema passus est in *anima*, in *corpore*, in *honore*. Passus est *sine intermissione* a primo instanti vitæ suæ mortalis usque ad extremum halitum in cruce, ita ut tota ejus vita recte dici possit crux atque martyrium. Voluit benignissimus Salvator triplicem dolorum calicem ebibere usque ad fundum, ut dolores nostros sanctificaret et simul nos edoceret modum eos fructuose perferendi.

CONTEMPLATIO

eorum quæ Jesus passus est in Horto.

1^um^ Præl. Audiamus Christum dicentem : *Tristis est anima mea* usque ad mortem. (Matth., XXVI, 38.)

2^um^ Præl. Videamus viam a monte Sion ad vallem Josaphat, et similiter Hortum.

3^um^ Præl. Petamus a Patre æterno gratiam Filio suo intime compatiendi et omnem *tristitiam* et *derelictionem* æquo animo tolerandi.

I^um^ PUNCTUM.

« Tunc venit JESUS cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani. »

1° Instituto sanctæ Eucharistiæ Sacramento, licentiam petit JESUS a Patre laxandi habenas suo insatiabili patiendi desiderio. Oculos mentis meæ in Eum conjicio, Eumque in via ex cœnaculo ad Hortum *firmo passu* procedentem intueor, *peccatis onustum* totius mundi, quæ volens in se suscepit, ut pro eis satisfaceret. Video, o mi JESU, inter ista peccata, *peccata mea*, quibus intelligo onus, quo premeris, non medio-

criter fuisse aggravatum. De hoc ex toto corde doleo.

2° Discipulis suis dixit : *Sedete hic, donec vadam illuc et orem.* Ecce discipulis proponit stationem commodiorem, sibi reservans *orationem laboriosam.* Quam longe alia est nostra agendi ratio ! Solemus enim in nostris laboribus nobis eligere quæ *faciliora* sunt et *jucundiora ;* aliis imponimus quæ graviora existimamus minusque jucunda.

3° Remotus orare vult Jesus, aliquantulo a discipulis spatio separatus. Sic *solus* oravit in deserto, *solus* in monte. Quare ? Ut nos doceret, ait S. Cyrillus, « animo attento et corde quieto colloquendum esse cum Deo sublimi. » O si scirem frequentius me tumultui humano subtrahere, melius sane, jucundius et fructuosius orarem. O si intelligerem quam bonum quamque jucundum sit *me solum esse cum Deo*, avidius omnem solitudinis occasionem arriperem.

4° « Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi... ait illis : *Sustinete hic, et vigilate mecum.* » Magno honori

ducere debebant illi tres apostoli quod JESUS eos elegisset inter omnes, ut in ipsius oratione et vigilia partem haberent. Eheu! nullum ex hac JESU dignatione fructum perceperunt. Non modo enim cum JESU non vigilaverunt, non oraverunt, sed inopportuno somno se tradiderunt. Quam sæpe hac in re imitatus sum apostolos! Ecce mittit ad nos JESUS tribulationem ut partem habeamus in eis quæ in Horto passus est. Gaudere deberemus vehementer et Ei gratias agere maximas pro tanto beneficio; sed e contrario pro gratiarum actione edimus conquestum, et pro gaudio tristitiam habemus. O mi JESU, fac ut non ita in posterum agam.

II^um^ PUNCTUM.

« *Cœpit pavere est tædere* (Marc.), *contristari et mœstus esse* (Matth.). »

1° *Quis* est ille qui talia patitur? Filius Dei vivi, consubstantialis Patri. Ille est qui juxta naturam divinam in gloria est Patris sui, ante cujus oculos nihil absconditum esse potest. Ille est qui omnipotenti sua manu inimicos suos

facile potuisset destruere. Sed ecce divinitatem suam occultat, et patitur ut purus homo; pro nobis patitur, ut, culpas nostras delens, suo Patri nos reconciliet.

2° Hæc omnia pati voluit, ait S. Hieronymus, ut veritatem assumpti hominis probaret. Est enim pavor moderatus, qui *naturaliter* inest homini, et quidem absque peccato, sicut et fames et sitis ; tales passiones fuerunt in Christo. Unde ipse *naturaliter horruit mortem* et pœnas acerbissimas quas scivit se passurum.

Ut observat Ludolphus a Saxonia, in nobis plerumque hujusmodi passiones *præveniunt* judicium rationis et imperium voluntatis; in Christo autem *sequebantur* rationem et voluntatem ; unde *volens* esurivit et sitivit ; *volens* timuit et contristatus est. Ista ergo tristitia ita fuit *naturalis*, ut tamen fuerit *voluntaria* et *rationalis ;* et ideo signanter dicunt Evangelistæ : *cœpit* contristari et pavere. Ergo tristitiæ motus non ei dominatus est, sed ipse eum statim arripuit et voluntati divinæ subjecit.

Ex his, o JESU, intelligo quanta bonitate egeris erga nos, innuendo nos posse absque ulla culpa in nobis *timorem*, *mœstitiam*, et *tædium* experiri. Sed simul doces debere nos ita nostri esse compotes, ut nullam unquam sinamus animi motionem *nobis dominari* aut nos *nimium* perturbare.

3° *Quid* patitur JESUS ?

a) *Timet*. Qua Deus omniscius, novit JESUS et prævidet totam seriem suæ passionis et opprobriorum : diram flagellationem, coronationem spineam, bajulationem crucis et crucifixionem. Talia natura humana aversatur et vehementer abhorret.

b) *Tædet*. Vadem se obtulit Patri suo pro peccatis nostris. Scit autem JESUS quanta *malitia* et *fœditas* sit peccatorum, et horum peccatorum pondere sentit se coram divina majestate onustum ; hinc ipsius anima *tædio* afficitur et oppletur horrore.

c) *Tristatur*. Dilexit nos et propter nimiam suam caritatem tradidit se in mortem tamquam sacrificium reconciliationis. Sed non ignorat pretio-

sum suum sanguinem pro multis frustra profusum iri. Hæc autem cogitatio : « *Quæ utilitas in sanguine meo ?* » non potest non amarissimam illi causare tristitiam, et tanta quidem hæc fuit tristitia ut *sanguineum sudorem* provocaverit.

Ergo, o mi Jesu, *angeris*, non tam metu tormentorum, etsi ea vividissime tibi repræsententur, quam *consideratione* peccatorum totius mundi, nominatim meorum. *Angeris* etiam, ut discam tecum similes angores fortiter tolerare, quin ideo animum abjiciam et me a Deo credam *derelictum*.

4° Admiremur sollicitam caritatem Christi. Etsi enim obruitur pondere acerbitatum, ter invisit discipulos ut eos ad orandum et vigilandum adhortetur ; et sic nobis ostendit quomodo debeamus ita saluti propriæ incumbere, ut tamen minime negligamus illos quos divina Providentia nobis sacerdotibus commisit salvandos. *Et invenit eos dormientes.* Quoties me dormientem invenisti, o benignissime Salvator ! Quoties merito mihi dicere debuisti :

Sic non potuisti una hora vigilare mecum? Ignosce mihi meam pigritiam, et concede gratiam melius deinceps orandi et vigilandi, ut *nunquam* cum Petro *intrem in tentationem.*

IIIum Punctum.

Quid facit Jesus, in tantis angustiis constitutus? Confugit ad orationem. Videamus quomodo profunde ad terram prostratus, manus ad cœlum attollens, oret ad Patrem : « *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* »

Quid mirabilius, o Jesu, hac tua ad Patrem oratione ? Brevissima est ; paucissimis constat verbis, sed quantos animi continet affectus !

Licet appareas coram Deo turpissima peccatorum nostrorum insignia gerens, summa cum *fiducia* Eum appellas *Patrem tuum ; candide* et *sincere* ei *aperis* naturalem, quem experiris *horrorem* ad bibendum istum calicem amaritudinibus plenum ; humiliter *petis* ut dignetur eum a te amovere, sed sta-

tim addis illud forte et virile *verumtamen* quo, invita naturæ repugnantia, accingis te ad ebibendum calicem, si hæc fuerit Dei voluntas.

Utinam nos sacerdotes hanc orandi formam usurpemus, quotiescumque voluerit Deus noster nobis dare partem *in afflictione* et *derelictione* Filii sui dilectissimi. Profecto nos exaudiet, ut exaudivit Filium, nobis addendo animos et vires ad sustinendam probationem invicta patientia, adeo ut de unoquoque nostrum dici possit : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis.* (Eccli., I, 29.)

Huic contemplationi finem imponamus *colloquio intimo* cum JESU afflicto usque ad mortem. Illi *compatiamur ; solamen* illi afferre satagamus. De peccatis nostris, quæ tanti doloris causa sunt, *doleamus ;* ad patiendum cum JESU paratos nos exhibeamus.

CONSIDERATIO.

De sequela JESU.

Ad cognoscendam voluntatem Dei, audiendus est Filius Dei, nam dixit aliquando

Deus : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, *Ipsum audite.* » Dixit autem JESUS : « Ego sum via, veritas et vita. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. » Et unicuique nostrum, ad statum sacerdotalem invitans, dixit : « *Sequere me.* » *Quis* nos vocat? *Ad quid* nos vocat? *Qua conditione* nos vocat?

I. *Quis* nos vocat? JESUS CHRISTUS, Filius Dei, factus homo, sapientissimus, amantissimus, amabilissimus, verus amicus, Rex gloriosissimus, Pater ditissimus et generosissimus. Dignus est igitur ut Ei confidamus plenissime.

II. Vocat nos ad habendam partem in *bello* quod intulit mundo et dæmoni, ut et nos possimus aliquando partem habere in *gloria* et in *felicitate* qua ipse fruitur in cœlo. Hoc autem bellum suscepit ex amore Patris sui æterni et ex amore generis humani. Voluit Patri recuperare regnum quod diabolus usurpaverat seducendo primos nostros parentes in paradiso. Voluit etiam homines liberare a servitute diaboli eosque donare libertate filiorum Dei. Bellum hoc nobilissimum est, gratissimum Deo, hominibus utilissimum. Fieri nequit ut, nos sacerdotes, non dicamus : Domine, sequar te, a stabulo ad sepulcrum usque!

III. Respondet JESUS : « *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat*

crucem suam quotidie, et sequatur me. »

1° *Si quis vult.* Audis, sacerdos? Non admittit in suo comitatu JESUS animos serviles aut mancipia; *liberos* vult, qui Eum sequi statuerint voluntate, non *manca* vel *limitata*, sed voluntate plena, virili, absoluta, ad omnia parata.

2° *Abneget semetipsum.* Audis, sacerdos? Tibi agendum est contra amorem tuum *proprium*, contra amorem *sensualem*, contra amorem *carnalem*, contra amorem *mundanum*. Tibi vis inferenda est, ut possis pro amore Regis tui temetipsum vincere et expugnare.

3° *Tollat crucem suam.* Audis, sacerdos? In sequela JESU inveniuntur cruces, et quidem *quotidie*. Has cruces non licet tibi *fugere* aut *trahere*, sed portare debes, id est, generosis ferre humeris, ut JESUS suam crucem portavit.

4° *Sequatur me.* Audis, sacerdos? JESUM sequi debes. Atqui sequi JESUM est eadem incedere via qua ipse processit, ejusque premere vestigia, seu, ut habet S. Joannes, *ita ambulare, sicut ille ambulavit.* (I Jo., II,6.) Sequi JESUM, est, ut dixit quidam pius scriptor, ejus imitari virtutes, illas scilicet quæ nostræ conditioni congruunt, et quarum præstantissimum nobis præbet exemplum. Sequi JESUM est ita *agere*, sicut egit JESUS; ita *loqui*, ut ipse locutus est; ejusque *induere*

sensa; adeoque illa magni facere quæ magni fecit, illa contemnere, quæ ipse contempsit. Hæc quidem imitatio varios habet gradus; estque major vel minor, prout majorem vel minorem cum Christo exprimit similitudinem. In *summo* gradu sequeris JESUM, o sacerdos, si *omnino et non ex parte abhorreas ab omnibus quæ mundus amat et amplectitur;* si *admittas et concupiscas totis viribus quidquid Jesus amavit et amplexus est;* ac proin si præferas, saltem affectu, cum Christo paupertatem divitiis, contemptum honoribus, ærumnas deliciis; et hoc quidem ex sincero atque ardenti desiderio placendi Christo, et aliquam cum Eo habendi similitudinem, etiamsi amplior merces inde speranda non foret. En, o sacerdos, imago et descriptio *tertii gradus humilitatis.* Hunc efflagita a JESU ardentissimis precibus per intercessionem B. M. V.

EXAMEN.

Circa desolationem.

Vocatur *desolatio* quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas seu terrenas; omnis denique inquietudo et agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute, et spem caritatemque expellens; unde se anima *tristari, tepescere*, ac *torpere sentit*, et de ipsius Dei creatoris sui clementia prope desperare.

I. An non sum causa desolationis meæ? Nonne forsan permisit Deus desolationem, quia videt me tepidum, pigrum et negligentem in exercitiis meis spiritualibus? Vel quia videt, laborantem nimis amore proprio atque superbia?

II. Quomodo soleo me gerere tempore desolationis?

1° Nonne statim arma abjicio demens?

2° Nonne, ad primum impetum desolationis, prolabor in pusillanimitatem? impatientiam? desperationem?

3° Nonne propter instantem desolationem, statim me remissiorem in omnibus exhibeo?

4° Nonne propter desolationem, negligo, decurto, omitto meditationem, examen, lectionem, aliaque exercitia spiritualia?

5° Non celeriter circumspicio *de solatiolis* aliunde quam a Deo emendicandis?

6° Nonne propter desolationem in mille curas distrahor, ut tristitiæ medear?

III. An sequor sapientissima consilia quæ tradidit S. Ignatius iis qui in desolatione versantur? Hæc autem sunt ejus consilia:

1° Tempore desolationis *nunquam mutatio facienda* est, sed standum firmiter et constanter in propositis ac determinatione, in qua erat homo ante desolationem.

2° Licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, valde tamen juvat

intense mutare se, v. g. insistendo magis orationi, meditationi, examini, et pœnitentiæ aliquid assumendo.

3° Qui est in desolatione, consideret quomodo Dominus illum reliquit, probationis gratia, in suis potentiis naturalibus, ut resistat variis agitationibus et tentationibus inimici, id quod potest haud dubie, assistente ei semper præsidio divino.

4° Ille qui est in desolatione, laboret ut persistat in patientia, et cogitet se cito esse consolandum.

IV. *Quibus armis* soleo uti contra desolationem? An iis quæ suadet S. Jacobus dum dicit: « *Tristatur aliquis vestrum?* » Non quidem respondet Apostolus: ludat, potet, garriat, ambulet, clamet; sed respondet: *oret.* Ita JESUS, factus in agonia, *prolixius orabat.* Et ecce ab oratione solatium venit, nam apparuit ei angelus *confortans eum.* Utinam JESUM semper imitatus fuissem!

O Pater æterne, ne permittas me in statu desolationis victas dare manus, et, abjectis armis, ad hostem nominis tui deficere. Sufficit mihi gratia tua, gratia pretium sudoris sanguinei quem JESUS pro me profudit. O Passio Christi, conforta me! O bone JESU, exaudi me! Neque permittas me separari a te in nocte, quando tenebræ erunt super faciem abyssi, et cœlum opertum nubibus nulla luce micabit. Amen.

RECOLLECTIO II.

CONTEMPLATIO.

De osculo Judæ.

1um Præl. Videamus JESUM ex oratione surgentem, Eumque audiamus discipulis dicentem : « *Surgite, eamus; ecce qui me tradet, prope est.* » (Marc., XIV, 42.)

2um Præl. Petamus a Deo gratiam abhorrendi vehementer ab omni Corporis JESU irreverenti et præsertim sacrilega tractatione.

Consideremus in hoc tristissimo mysterio quid fecerit *Jesus*, quid fecerit *Judas*, quid faciat *sacerdos sacrilegus*.

Ium PUNCTUM. — Quid fecerit Jesus.

Mira dignatione Judam elegerat JESUS ad statum vitæ inter omnes sublimissimum ; eum evexerat ad dignitatem quam sancti Patres non dubitarunt vocare *divinam* et sub aliquo respectu *infinitam*, ad dignitatem scilicet sacerdotalem et apostolicam. Per tres continuos annos admisit eum in

suam amicitiam atque familiaritatem; adhibuit eum ut individuum itineris socium et commensalem; spectatorem eum fecit et testem suorum miraculorum, eique virtutem non negavit miraculosa patrandi; nuperrime ejus lavit pedes et divino suo corpore ac sanguine eum pavit; sollicitudine paterna conatus est omni modo eum inducere ad *vincendam* abjectam, qua laborantem videbat, passionem.

Tu autem, o mi JESU, pro tot ac tantis beneficiis, quamnam a tuo perfido discipulo recepisti remunerationem? Proditionem turpissimam!

Nulla sane lingua, ne angelica quidem, verbis æquare possit *quid* Cor tuum amantissimum fuerit *doloris*, *tristitiæ*, *amaritudinis* expertum, vel dum videbas Judam tractantem cum inimicis tuis de tua pernicie;. . vel dum eum cernebas ad te appropinquantem cum *turba magna* ut te illorum traderet furori atque crudelitati;... vel dum eum audiebas *perfido ore* verba *salutationis* proferentem;... vel dum eum sentiebas inaudita audacia faciei tuæ benedictæ

osculum imprimentem scelestissimum.

O mi Jesu, accedentem ad osculum sanctissimi oris tui cruentam bestiam non es aversatus, sed os, *in quo dolus inventus non est*, ori quod abundavit *malitia* dulciter applicuisti. « O innocens Agne Dei, quid tibi et lupo illi? *Quæ conventio Christi ad Belial?* Sed et hoc benignitatis tuæ erat, Domine, ut omnia illi exhiberes quæ pravi cordis sui pertinaciam emollire potuissent.» (S. Anselm. in libro Medit. et Orat.) « *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* » Blande compellat, facti indignitatem sibi esse notam aperit, ad pœnitentiam invitat, sed frustra. O si tunc Judas, facti pœnitens, se ad Jesu pedes prostrasset, dicens sincero corde: *Dominus et Deus meus, doleo, veniam imploro*, statim venia concessa, iterum inter Apostolos adnumeratus fuisset, et ut cæteri Apostoli, ad summam gloriam atque æternam felicitatem pervenisset. Summa stultitia est de Jesu misericordia diffidere.

Jam intelligo, o benignissime Salvator, quare nobis aliquando cor tuum

exhibueris spinea corona circumdatum. Profecto acutissimas inter spinas quibus cruentatum est cor tuum, hæc fuerunt quæ *cogitavit*, quæ *dixit*, quæ *fecit* perfidus tuus apostolus. Utinam ejus spinis non adjunxissemus nostras! Da, quæso, Domine, ut eas extraham e Corde tuo, per veram conversionem, quas ei crudeliter infixi peccando.

IIum PUNCTUM. — **Quid fecerit Judas.**

« *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ?* » (Thren., IV, 1.) Quando adspexit te Dominus teque in discipulum recepit, o scelestissime hominum, bonus eras et in simplicitate cordis Deo tuo famulabaris ; confidenter ambulabas ad latus JESU ; *audiens* sapientissima verba quæ ex ore ejus prolabantur, et *videns* stupenda quæ patrabat opera, præ gaudio exsultabas; magno animo accingebas te ad labores, quos JESUS tibi proponebat ut seminarium triumphorum in cœlis remunerandorum. *Spiritu fervens, spe gaudens*, felix eras felicitate, æternæ felicitati prævia. Hæc omnia turpissime

abjecisti ; amicitiæ Dei et gloriæ apostolicæ *prætulisti* possessionem *paucorum nummorum.* Extendisti igitur manum ad *pecuniam iniquam*, et statim «*cecidit corona capitis tui, mœstum factum est cor tuum, contenebratisunt oculi tui.* » (Thren., v, 16.) Dominum tuum vendidisti, osculo prodidisti, laqueo te suspendisti, et mercedem iniquitatis tuæ retulisti *nomen exsecrandum, mortem ignominiosam, judicium horrendum.* Audiveras tamen Jesum dicentem : «*Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur ; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* » (Matth., xxvi, 24.) Sed paternæ Jesu monitioni aures obturasti et victas dedisti manus abjectissimæ tuæ cupiditati. Quanta stultitia, in æternum lugenda !

Quis sacerdos hæc seria mente considerans, non salutari corripitur timore, ne et sibi contingat aliquando quod contigit Judæ ? Faxit Deus ut ejus exemplo edocti, intelligamus quanta sit sacerdoti necessitas *orandi* et *vigilandi* ne intret in tentationem ; quanta necessitas *cognoscendi passionem suam domi-*

nantem; quanta necessitas eam fortiter, serio, *tempestive oppugnandi.* Quot sacerdotes *in æternum perierunt*, eo quod non animo forti et virili *nascentem* aliquam passionem, aliquam *concupiscentiam*, sive *carnis*, sive *oculorum*, compescuerint. O si fideliter institueret sacerdos *quotidianum* conscientiæ *examen ;* si ope *examinis particularis* defectus impugnaret *sedulo;* si singulis hebdomadis ita confiteretur peccata sua ut unaquæque confessio ultima esse possit ; si continue in conspectu Dei ambularet, frequenter mentem et cor ad Eum erigendo; si in omni tentatione fiducialiter ad Matrem recurreret: sine dubio vitaret extrema ad quæ delapsus est miserrimus proditor Jesu.

III^tium^ Punctum. — **Quid faciat sacerdos sacrilegus.**

Tantæ *malitiæ*, tantæ fuit *fœditatis* crimen Judæ, ut vix credibile videretur illud unquam ab alio quovis esse renovandum. Et tamen, *quotidie*, o Domine, scelus istud detestabile et omni exsecratione dignum *renovatur*, et ab iis

quidem quibus, ut Judæ, sublimissimam dedisti vocationem, innumera contulisti beneficia, stupenda exhibuisti amoris tui testimonia! Ecce sacerdos tuus, vestibus suæ dignitatis indutus, in conspectu populi fidelis, audacter ascendit ad altare, quod dum *osculatur*, te ipsum osculari creditur: osculatur quidem, sed *osculo proditoris; versatur enim in statu peccati mortalis!* Dicit ergo tibi, o Deus, ut Judas: *Ave, Rabbi;* et tu cogeris ei dicere: *Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis!* Ad hæc verba, quæ ferrea pectora emollirent, retro cessit Judas; hic autem non recedit, sed fronte imperterrita, voce simulans pietatem, pergit in *immanissimo facinore*, donec, in actu communionis, virgineum tuum corpus arripit manu impudica, vi illud detrudit in pectus impurum, ibique te tradit aliquo modo dæmonio impuritatis. Semel te prodidit Judas, iste centies!

O sacerdos sceleste, recordare beatissimæ horæ, qua tibi tanta cum solemnitate sacerdotii dignitas collata est. Lacrymabaris præ gaudio; gratias ex

toto corde agebas Deo pro tanta benignitate, eique te promittebas in æternum adhæsurum. Cessasti Ei adhærere, et prolapsus es in abyssum miseriarum. Quomodo ad hunc tristissimum statum devenisti ? Scimus *neminem repente fieri summum ;* ergo *paulatim* a via prioris felicitatis declinasti, nempe, non sufficienter cavendo a tepiditate... plus æquo sensibus indulgendo ... exquirendo nimium corporis commoda ... non prudenter abstinendo ab omni familiaritate cum femineo sexu... otiando vel nugis tempus terendo. Ecce inermem te aggressus est diabolus, et turpiter victus corruisti! Utinam statim, humili et sincera confessione, e sepulcro peccati te erexisses ! Superbia tua, ne id faceres, te impedivit. Sic sacrilegus factus es !

O Domine, rogo te ut a tanta infelicitate me custodias. Cum sanctis tuis martyribus, renovare volo meum sacramentum militare : Domine, *potius mori millies quam semel fœdari !*

CONSIDERATIO.

De via ad sanctitatem simplicissima.

Valde excelsa est quæ a nobis sacerdotibus requiritur *perfecta sanctitas ; modus* vero, quo ad hanc perfectionis celsitudinem pervenire possumus et debemus, valde *simplex* est.

Sic Deus in rebus *naturalibus*, ex principio valde simplici res mirabiles educit. Quid, verbi gratia, simplicius est quam arare terram, jacere semen, et tunc abire, dormire aut suis negotiis vacare ; et tamen quid mirabilius exsistit, quam id quod ex hoc semine jacto nascitur, scilicet *messis ?*

Non aliter fit in rebus *spiritualibus ;* per viam valde simplicem tenditur ad summam sanctitatem. Sufficit ut homo cogitet, sentiat, ratiocinetur, agat *rationabiliter.*

Hujus rei eximium nobis præbet exemplum S. Ignatius, Societatis JESU fundator. Dum lecto graviter decumbit, incipit *cogitare rationabiliter.* Etenim, legendo vitam CHRISTI, simpliciter sibimetipsi dicit : Missus est Filius Dei ut nos instrueret ; *ergo audiendus ;* sed ipse est Deus, *ergo ei credere debeo ;* si credendus, *ergo et imitandus*, declaravit enim se esse viam, veritatem et vitam ; imitandus autem, quidquid garriat mundus, caro, diabolus. Legit et vitam Sanctorum, nempe S. Francisci et S. Dominici,

et simpliciter sibimetipsi dicit: Quod Franciscus fecit, nonne et ego facere possum? Quod Dominicus fecit, nonne et ego? Venit tentator, et bona *apparentia* ei ob oculos ponit; sed Ignatius, dum *rationabiliter* rem *examinat*, animadvertit cogitationem eorum quæ legerat parere *pacem* et *solatium* cogitationem autem rerum mundanarum relinquere cor vacuum et triste; *rationabiliter* inde *concludit* ea quæ in Christi et Sanctorum vita proponuntur, *esse vera bona*, mundi vero pollicitationes *esse fallacias. Ergo melius est esse cum paucis qui tendunt per viam arctam, quam cum turba sese in viam latissimam conjiciente, quæ ducit ad mortem. — En principium valde simplex* sanctitatis in viro illo mere admirabili.

Utique, quotquot sumus sacerdotes, ad eamdem vocati sumus sanctitatem. Ad eam via plana est, recta, brevis et simplex; ea est quam nobis præmonstravit Filius Dei, et per quam Eum nos secuturos promisimus.

Sed ecce, non raro imitamur pueros, qui a parentibus mittuntur ad aliquid emendum. Pueri isti sæpe in plateis detinentur curiosis spectaculis, lusibus distractionibusque variis, et duas consumunt horas ad quærendum id quod unius quadrantis spatio facile invenissent: immo sæpe id facere obliviscuntur quod peragere debebant, domumque re-

deunt manibus vacuis ac merito incurrunt objurgationes et virgas. Nonne sæpe hæc nostra est ratio agendi? Misit nos Pater æternus ad emendum margaritam pretiosam, cœlestem scilicet beatitudinem. Proh dolor! sinimus nos in via detineri *nugis*; delectamur *rivulis*, et obliviscimur *fontis* uberrimi; juvat aspicere *catenas* captivitatis nostræ, nec animo obversatur jucundissima *Patriæ* libertas; inhæremus libentius in iis quæ sunt *exsilii*, et *Patriæ* gaudia vix desideramus!

Quænam igitur est hæc via simplicissima, per quam nobis incedendum est ut ad summam sanctitatem perveniamus? Est *verus Dei Amor*. Hunc ergo Dei amorem in nobis excitemus. Non est necesse ut *sensibilis* sit, dummodo *practicus* probetur.

Verus Dei amor *diligentissime vitat* quodcumque Deo, utpote patri amantissimo, posset *displicere*. Minima transgressio videtur *amanti* gravior quam jactura totius mundi, non quia pœnam meruit, sed quia *amato displicuit*.

Verus Dei amor vel minima *peragit accuratissime*, quia nihil quod fit ex amore, *parvi* potest æstimari.

Verus Dei amor *libentissime obedit*, quia vox obedientiæ est vox certissima *amati*; *amanti* autem quid jucundius sit quam implere voluntatem illius quem amat?

Verus Dei amor magni facit sanctaque aviditate *amplectitur omnem occasionem* cum Deo *conversandi*. Longe igitur absit ab eo ut ipsi tædio sit sermocinatio amantis.

Verus Dei amor *libentissime* accipit *labores*, cruciatus, quos sibi contingit pro amato tolerare. Ardentissime consuevit exclamare ad singula quæ patitur : *Amplius, Domine, amplius !... Pati et contemni pro te ! Aut pati aut mori !*

Verus Dei amor *abjicit* a se omnem vanum *timorem ;* hominem *fortem* facit atque intrepidum et omnibus rebus superiorem ; tepidos, languentes, timidos non patitur.

« Eia, Domine Deus, amator sancte meus, cum tu veneris in cor meum, exsultabunt omnia interiora mea. *Tu es gloria mea et exsultatio cordis. Tu spes mea et refugium meum in die tribulationis meæ.* »

Fac, Domine, ut de me merito dici possit quod hic addit piissimus Thomas Kempensis : Amans volat, currit et lætatur ; liber est, et non tenetur. Dat omnia pro omnibus, et habet omnia in omnibus ; quia in uno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit et procedit (*Imit. Chr.*, lib. III, c. v).

EXAMEN.

Circa modum pie surgendi.

Magni momenti est propere diligenterque mane e lecto surrexisse, a quo fere depen-

det divina visitatio totiusque diei fervor et alacritas. Igitur vince te, o sacerdos : diem *perfecte* incipe, et hanc tui victoriam, velut diei *primitias*, Deo offer.

1° An *constanter* surgo hora statuta, sine excusatione ? An non forsan obviam excusationem admitto et protraho somnum, quia frigus est, quia minus placide dormivi, quia adhuc grave est caput ?

2° An surgo *celeriter*, sine mora, ut solet surgere servus bonus et fidelis qui a domino suo vocatur ad famulatus exercitium ? An ita velociter surgo perinde ac si ignis cubili injectus esset ?

3° An surgo *devote ?*

a) An *expergefactus* statim, exclusis aliis cogitationibus, animum ad illud applico quod modo contemplaturus sum, ac sensa futuræ meditationi conformia foveo ?

b) An, *cum surgo*, formata cruce lente et cum affectu, dico : *Jesus, Maria, Joseph sint mecum semper et benedicti in æternum. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo ?*

c) An antequam vestem talarem induam, eam osculor devote ac tenero amore, ad exemplum S. Joannis Berchmans, et Deo gratias ago, quod Filii sui insignia iterum mihi concedat gestare, dicendo : *Indue me, Domine, veste nuptiali, et compareat anima mea coram te in vestitu deaurato, circumdata varietate virtutum ?*

d) An cum *lavor*, dico : *Amplius lava me, Domine, amplius munda me, ut placeam tibi ?*

e) An dum *speculum inspicio*, dico : *Quid superbis, terra et cinis ? Omnia vanitas*, præter amare Deum et illi soli servire ?

f) An offero ex toto corde Deo omnes diei actiones ? An efformo intentionem lucrandi omnes indulgentias quas lucrari potero per diem ? An tandem propono diligentem mei custodiam circa defectum illum a quo volo me corrigere ope examinis particularis ?

g) Uno verbo, an soleo dare Deo, dum evigilo, *primam* meam *cogitationem*, primum *verbum*, primam *actionem ?* An proinde prima actio est me signare signo crucis ? primum verbum, nomen JESU, Mariæ, Joseph ? prima cogitatio de tradendo me totum fideli Dei famulatui ?

RECOLLECTIO III.

CONTEMPLATIO.

De comprehensione Christi in Horto.

1um Præl. Conspiciamus JESUM verbo hostes prosternentem servique sanantem auriculam.

2um Præl. Petamus gratiam imitandi patientiam, benignitatem, animi firmitatem JESU.

Ium PUNCTUM.

Antequam singula perpendamus quæ Dominus JESUS in Horto passus est, ex quo se permisit osculandum perfido traditori, consideremus sequentes circumstantias, ex quibus patebit quanta caritate nos dilexerit amantissimus noster Salvator.

1° *Quis* est ille qui patitur ? Est *vir* innocentissimus, amabilissimus, qui nulli unquam nocuit, qui nullum unquam læsit, *qui pertransiit benefaciendo.* (Act., x, 38.) — Est sanctissimæ Matris *sanctissimus Filius*, ex tenerrima tenerrimus : unde sensus tormentorum fuerit acutior. — Est *Filius Dei uni-*

genitus, qui pro nobis homo fieri dignatus est, cui nasci satis non fuit, nisi pro nobis etiam pateretur et moreretur. — Est *sacerdos* secundum ordinem Melchisedech, qui, cum suæ dignitati parem hostiam non reperiret, se ipsum obtulit sacrificium. — Est *Agnus Dei*, qui tollit peccata mundi. — Est *Deus*, æterna Majestas, infinita Potentia, infinita Bonitas, infinita Caritas. — Quale mysterium ! Quomodo jam conqueri auderem si *mihi*, misero peccatori, aliquid pati contingat ?

2° *Pro quibus* patitur ? Pro illis a quibus sæpe offensus fuit, neglectus, contemptus ; pro illis qui frequenter ipsius beneficiis sunt abusi ; immo pro illis qui beneficia contra Benefactorem suum converterunt. — Quam alia mea est agendi ratio ! Ecce forsan pro amicis et pro illis qui mihi bona contulerunt, aliquid molestiæ libenter sustineo ; pro adversariis vero, pro hominibus non adeo mihi gratis et multo minus pro illis qui me aliqua affecerunt injuria, ne id quidem quod sine labore eis possem præstare, præstandum existimo.

Et tamen, o Domine, clarissimis verbis nos docuisti aliam prorsus viam tenendam. « Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. » (Luc., VI, 32-34.) Quid clarius, quid sublimius hac tua doctrina, o JESU? Sed quam rari sunt, etiam inter viros tibi specialiter consecratos, qui eam in usu vitæ fideliter sequi videantur!

3° *A quibus* patitur? Omnes contra ipsum visi sunt conspirare ut augerentur et opprobrium et cruciatus. Passus est a Juda... a Petro... a discipulis reliquis fugam capientibus... a satellitibus... a ministris Pontificis... a sacerdotibus et principibus populi... a dæmonibus. « Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. » (Luc., XXII, 53.) Et horum omnium, o JESU, patientis-

sime sustinuisti impetum, quin verbulum duriusculum ex ore tuo contra aliquem illorum delapsum sit. — Et ego, si vel unum patior adversarium, conturbor, irascor ; et si copia sit ulciscendi, ulciscor ego sacerdos !

4° *Quomodo* patitur ? Respectu *Patris æterni* summa cum *obedientia* et *resignatione* cuncta sua mala passus est, ut liquido significavit ipse, dum dixit orans : « Non sicut *ego volo, sed sicut tu.* »

Respectu *nostri* passus est admirabili *caritate ;* qui enim una guttula sanguinis mille mundos redimere potuisset, ex amore *mensuram confertam* et *coagitatam* dare voluit : adeo aquæ passionis non potuerunt exstinguere caritatem, neque flumina sanguinis obruere illam.

Respectu *sui* passus est animo *pacato*, *humili* et *generoso*, tamquam ovis ad occisionem ductus, coram tondente se tacens ; passus est cum ingenti *desiderio* plura et majora pro Patris sui gloria et pro nostra salute patiendi, si calicem totum non ebibisset.

Et quomodo ego, sacerdos, pati soleo ? Nonne cunctanter et ægre ? Nonne cum mora, cum interna murmuratione ? Nonne cum animi dejectione ? Nonne cum inquietudine et anxietate? Nonne cum desiderio statim me cruce liberandi, aut cum superbia, reputando me immeritum pati ?

Utinam, o patientissime Jesu, mihi contingat aliquid tuæ invictæ patientiæ obtinere, ut fidelius et generosius te patientem incipiam imitari. O Maria, efflagita mihi a dilecto Filio tuo, ut juxta crucem tecum stare valeam, et me tibi in planctu sociare et ejus plagas pia mente recolere.

IIum Punctum.

1° Conspiciamus Jesum medium inter hostes *intrepidum* quidem, sed *mansuetum*. Accepto osculo a Juda, audacter a ministris sacerdotum, quos videt rabie diabolica repletos, petit quem quærant, et ipsis dicentibus: *Jesum Nazarenum*, respondet, *Ego sum*; tanta vero unius verbi Jesu vis fuit, ut omnes *abierint retrorsum* et *ceciderint in terram* (Joan.,

XVIII, 6). Ostendere voluisti, o JESU, potuisse te, si voluisses, ad nihilum redigere adversarios tuos, eorumque impios conatus præpedire ; sed statueras pati pro me, et propterea licentiam eis dedisti tibi *manus injiciendi teque tenendi.* Quam merito S. Augustinus, videns JESU hostes in terram prostratos, exclamavit : « Ubi nunc militum cohors et ministri principum et pharisæorum ? Nempe una vox dicentis, *Ego sum*, tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravit (virtute divinitatis latentis). Deus enim latebat in carne... Quid *judicaturus* faciet, qui *judicandus* hoc fecit ? Quid *regnaturus* poterit, qui *moriturus* hoc potuit ? » (Tract. 112 in Joan.)

Quale spectaculum ! Cum ingenti furore homines vilissimi aggrediuntur Agnum mansuetissimum, pulsantes eum, vellentes, trudentes, manus illas mirabilium operatrices funibus catenisque vincientes. Hæc contemplantes non possumus non recordari quod dixerat de te, o JESU, Psalmista tuus : « Cir-

cumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. » (Ps. XXI, 13.)

2° « Et ligaverunt eum. » (Joan., XVIII, 12.) *Quis* ligatur? Ille qui homines donavit libertate. — A *quibus* ligatur? A creaturis suis creator, a peccatoribus innocens ; a me benefactor meus, amicus meus, pater meus, salvator meus. Et ecce ille qui dederat Samsoni facultatem vincula rumpendi, ea ipse uti noluit. Vinciri voluisti pro me, ut me, o JESU, liberum faceres, et vincula tua non abjecisti. De hoc tibi gratias ago ex toto corde, et simul gaudeo quod licuit mihi aliquando me pro te vinculis constringere. Nonne vincula mea sunt vota mea, munera mea, mei labores officiique sacerdotalis quotidianæ functiones? Hæc mea vincula, propter JESUM amabo. « O JESU, qui iniquorum manibus ligari voluisti : absolve, quæso, nostrorum vincula peccatorum ; atque ita caritatis vinculo, præceptorumque tuorum funibus me constringe, ut nunquam membra corpo-

ris, aut vires animæ meæ laxentur ad quævis contraria tuæ voluntati.» (Lud. de Saxonia.)

3° Petrus indigne ferens quod dilecto suo magistro faciebant hostes, intrepida manu abscidit auriculam servo pontificis. Ast Jesus dixit Petro: « Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? » (Joan., xviii, 11.) «Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.» (Luc., xxii, 51.) Quanta mansuetudo! Quanta benignitas! Quanta voluntas calicem a Patre acceptum ebibendi usque ad fundum! — An sic agimus nos dum aliquid percepimus mali ab adversariis nostris? Conabor, o Jesu, cum tua gratia, tuam mansuetudinem benignitatemque erga hostes imitari; conabor amare calicem quem mihi dare dignaberis; et si aliquis amicus ad expetendam vindictam de injuria accepta me incitaverit, animo invicto respondebo: *Calicem quem mihi dedit Jesus, non bibam illum?*

4° « Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. » (Matth., xxvi, 56.) En

imago amicitiæ humanæ. Tamquam fidelibus amicis Jesus revelaverat omnia divina mysteria ; illi ipsi dixerant : « Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes (Joan., VI, 69) ; » cum Thoma omnes se Jesu obtulerant comites usque ad mortem : « Eamus et nos, ut moriamur cum eo (Joan., XI, 16) : » et ecce relinquunt Dominum Jesum in manibus inimicorum, et in fuga suam quærunt salutem. Quam vere dixisti, sanctissime Job : « Verbosi amici mei ; ad Deum stillat oculus meus.» (Job., XVI, 21.) Sine dubio, teste Scriptura, ut thesaurus habendus est amicus fidelis ; sed ubi, quæso, invenies, o sacerdos, amicum qui respondere valeat vel velit cunctis cordis tui necessitatibus aut desideriis? Vel amico deest tempus te excipiendi, vel ei deest copia tibi auxiliandi, vel ei deest voluntas te consolandi. Tu solus, o benignissime Jesu, in Tabernaculo diu noctuque propter me commorans, semper paratus ad me excipiendum, ad me adjuvandum, ad me consolandum, vere constanterque *omnes perfectæ amiciti*

imples partes, et quanto cum amore, quanta cum patientia, quanta cum liberalitate ! « Dilectio creaturæ fallax et instabilis ; dilectio JESU fidelis et perseverabilis. » (*Imit. Christi*, l. II, c. VII.) « Sine amico non potes bene vivere ; et si JESUS non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis et desolatus... Ex omnibus ergo caris, sit JESUS solus dilectus specialis. » (*Ibid.*, c. VIII.)

5° « Et adduxerunt eum ad Annam primum. » (Joan., XVIII, 13.)

Videamus JESUM, ut agnum inter lupos, cum violentia protractum, satellitibus clamantibus quasi adducerent feram captam. Videamus eum vinculis et funibus constrictum, ut malefactorem, introeuntem civitatem sanctam. Ubi jam triumphus ? Ecce quinque ante diebus, *liber*, o JESU, et *triumphabundus* eamdem civitatem ingrediebaris, plena luce, comitantibus amicis cum ramis de arboribus atque dicentibus cum lætitia : « Hosanna ; benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel ! » (Joan., XII, 13.) Nunc autem per densissimas noctis tenebras, inter opprobria et ludi-

bria, a vilissima turba pertraheris captivus, modo turpissima morte plectendus. Sic eloquentissime per temetipsum nos doces quam inconstans sit, quam vana *gloria* quæ venit ab hominibus. Utinam eam non tam avide exquisivissem ! Utinam in posterum unice appetam, quæram, inveniam gloriam quæ venit a te, o mi Deus, quæque duratura est in perpetuas æternitates. Amen.

CONSIDERATIO.

De duplici effectu amoris Dei.

Duo sunt quæ haberi debent ut *effectus* amoris Dei, et simul *causa* sunt seu *alimentum* ejusdem amoris.

I. Quando quis rite correspondet amori quo ipsum diligit JESUS, paulatim sentiet in se magnam inclinationem ad spiritus recollectionem, ad *solitudinem cordis*. Etenim cum quis semel *gustare* cœperit amorem Dei erga se, et cum semel intellexerit quam *bonus* sit JESUS, quam *amabilis* sit, quam *beneficus*, quam *sapiens*... libenter versabitur cum Eo et suavi fruetur ipsius consortio.

Hinc fit ut talis homo quasi naturali *pon-*

dere abripiatur ad Deum suum... ipsum quærat ubique... Sive studeat, sive corpus reficiat, sive ambulet, aut versetur in turba et tumultu negotiorum,... absque ullo conatu, absque ullo labore, cogitat de Deo suo, ad ipsum dirigit vota cordis sui. Ex hac autem cordis solitudine exsurgit nescio quæ *corporis* compositio ad *gravitatem* et *modestiam*, quæ cum sit nulla affectatione difformis, facile aliorum provocat venerationem ; talis enim homo dicitur et est *homo Dei.*

Quod si amor Dei hanc *cordis recollectionem* et modestiam *externam* producere soleat, solet ipsa recollectio et modestia conducere vicissim ad amoris divini augmentum. Examinemus igitur nosmetipsos, et videamus utrum experti fuerimus in nobis hunc amoris effectum, et utrum saltem recollectione *spontanea* et exactissima modestiæ observatione conati fuerimus augere in nobis Dei amorem. Et si quis deprehenderit se carere hac continua mentis recollectione, dispiciat utrum saltem *tempore orationis* soleat esse recollectus et modestus, et saltem tunc Deum præsentem cogitaverit.

II. Amor Dei operari solet, si non interponatur obex, omnimodam *cordis abnegationem*, quam quidem consequitur solidissima et verissima *libertas*. Et re quidem vera,

thesaurus noster est *Deus*. Vera nostra *beatitudo* consistit in Dei possessione ; Deus autem possidetur *corde*. Quo majorem Ipsi concesserimus locum in corde nostro, eo etiam in corde diffunditur major copia felicitatis.

Quapropter Deus amans nos et ex amore vehementer cupiens opplere cor nostrum felicitate, *suaviter* et *fortiter subtrahit* nobis quæ cor nostrum implere solent et quibus cor conspicitur adhærere. Hinc admirabiles *viæ Domini*.

EXAMEN.

Circa dilectionem Dei.

« Dilectio Dei est magna voluntas Deo *serviendi*, dulcis affectus Deo *placendi*, ferventissimum desiderium Deo *fruendi*. » (Albertus M., De adhærendo Deo, c. XI.)

Dilectio Dei se prodit *affectibus*, *operibus* et *verbis*. (Cf. Dirckinck, Semita perf.)

I. *Affectibus*.

1° An *volo* Deo suum bonum intrinsecum, ut essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem ? An *gaudeo* quod tam perfectus est ?

2° An *desidero* Deo gloriam bonumque externum, ut videlicet ejus Nomen sanctificetur a me et ab aliis, atque ut omnia cepant ad majorem ejus gloriem ?

3° An *doleo* de impedimentis gloriæ Dei, v. g. de peccatis meis et alienis, aliisque obstaculis, et an conor ea efficaciter removere?

4° An *diligo* omnia quæ Dei sunt?

5° An *lætor* de omni eo quod Deo placet, sive prosperum sit, sive adversum, sive dulce, sive amarum?

6° An *tristor* de omni eo quod Deo displicet et jussis ejus repugnat?

7° An omnia adversa propter Deum *cum gaudio* sustineo?

8° An hanc Dei dilectionem ardenter instanterque a Deo postulo et omnia ei adversantia repudio?

II. *Verbis.*

An soleo meum erga Deum amorem depromere lingua:

1° In quotidianis colloquiis?

2° In amicorum visitationibus?

3° In infirmorum consolationibus?

4° In catechesibus et exhortationibus?

5° In sacro tribunali?

6° In cunctis occasionibus?

Et *quo animo* de Deo sermonem instituo? An ardenter? An frigide? An cum gaudio? An cum nausea?

III. *Operibus.*

An ex amore Dei conor diligentissime *Dei voluntatem* adimplere,

1° Religiosissime *servando mandata* Dei et Ecclesiæ præcepta?

2° *Obediendo* promptissime superioribus meis ?

3° Obeundo fidelissime *munus* mihi commissum ?

4° Me conformando per omnia, semper et ubique, *Dei beneplacito ?*

5° *Opera* mea *quotidiana* maxima qua possum perfectione peragendo ?

6° *Ardua* pro Dei amore et gloria *animose aggrediendo* et *perficiendo?*

7° Adversa et mala pro ipsius honore fortiter *tolerando?*

« O amor, qui semper ardes et nunquam exstingueris ! Caritas Deus meus, accende me et accendar, ut totus diligam Te ! » (S. Aug., lib. X Conf., post medium.)

RECOLLECTIO IV.

CONTEMPLATIO.

De gestis apud Annam.

Iᵘᵐ Præl. Videamus quomodo Christus ductus sit ad Annæ domum, a Pontifice interrogatus, alapa percussus, a Petro negatus.

2ᵘᵐ Præl. Petamus a Patre æterno gratiam *cognoscendi* et *imitandi* exempla virtutum quæ Christus ibi exhibuit.

Iᵘᵐ Punctum. — Jesus ab Anna interrogatur.

1° « *Et adduxerunt eum ad Annam primum.* » (Joan., XVIII, 13.)

Quid ministros Sacerdotum induxit ut Jesum vinctum sisterent Annæ? Forsan quia domus Annæ erat in itinere ad domum Caiphæ; forsan quia, cum esset Annas socer Caiphæ, credebant id Caiphæ gratum futurum; forsan quia sperabant laudem aliquam se ab illo et mercedem relaturos, et inde exsultabant. Jesus autem fatigatus a longa oratione et sanguineo sudore debilita-

us, ex multiplici itinere multam per-
ipiebat molestiam. Sed hæc omnia
pacato animo patientissime pro me
perferebat. An non turpe esset si ego,
ulter Christus, conqueri viderer de
minima fatigatione, de ingrato aliquo
labore a superioribus mihi imposito?

2° « *Pontifex ergo interrogavit* JESUM *de discipulis suis et de doctrina ejus.* » (Joan., XVIII. 19.)

Ad quid interrogat Annas JESUM? Non profecto amore veritatis discendæ, sed ut ex responso illius occasionem capiat illum accusandi et condemnandi. — Equidem interrogabo te, o Magister amatissime, non curiositatis causa, sed veritatis cognoscendæ desiderio. Interrogabo te tempore meditationis; interrogabo tempore visitationis Tabernaculi; interrogabo te omni momento quo mentem meam sensero vel dubiis exagitatam, vel angustiis perturbatam. Frequenter in ore habebo humilem servorum tuorum precationem: « *Domine, quid me vis facere? Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* »

3° « *Respondit ei* JESUS : *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo... Interroga eos qui audierunt... ecce hi sciunt...* » (Joan., XVIII, 20, 21.)

Consideremus prudentissimum JESU responsum. Una ex parte declarat se, ad demonstrandam suam innocentiam, audere inimicos suos vocare in testes : altera ex parte ostendit se insidias detexisse quibus eum in verbo capere volebat Annas ; nam si pro se loqui hic Christus cœpisset, sine dubio dixissent quod olim : « *Tu de te ipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum.* » Quoad discipulos tacuit JESUS, quia certe de ipsis gloriari non poterat, uno exsistente proditore, aliis omnibus desertoribus. Docet igitur nos optimus Magister rationem adversariis nostris respondendi ita ut consulamus *prudentiæ* simul et *caritati.*

4° « *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu.* » (Joan., XVIII, 22.)

Summa hæc injuria fuit a vilissimo nebulone Filio Dei innocentissimo illata, tot spectantibus et omnibus ap-

probantibus. Miremur *patientiam* Jesu, qui, Deus cum sit, jure se potuisset statim vindicare. Et ego, o mi Jesu, toties nocens, ne minimam quidem injuriam sine indignatione, sine ira, sine vindicta perferre possum. Unde nunc erubesco et humiliter a tua misericordia de mea impatientia veniam imploro.

5° « *Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis ?* » (Ibid., 23.)

Diluit igitur accusationem Jesus, ne alii credant ipsum irreverenter fuisse locutum Pontifici. — Docemur itaque interdum respondendum esse injuriis, sed mansuete ; ne scilicet silentium aliis sit causa scandali. Eheu ! quam sæpe respondemus quando respondendum non est ; et quam sæpe id facimus *multis* et *acerbis* verbis !

II^um^ Punctum. — **Jesus a Petro negatur.**

1° *A quo* negaris, o Jesu ? Ab illo qui protestatus erat non fore ut scandalizaretur, *etsi omnes scandalizati fuissent ;* ab illo qui se non negaturum

asseruerat Dominum, sed potius cum eo commoriturum ; ab illo qui paulo ante, in horto, contra armatos milites te gladio defendere conatus fuerat ; ab illo qui olim confessus erat te esse Filium Dei vivi ; ab illo quem præ cæteris dilexeras et super alios constitueras ; ab illo quem a tribus annis beneficiis maximis cumulaveras. — O sacerdos, licet videaris oculis tuis bonus, fidelis, sanctus ; quantiscumque te expertus fueris cumulari a Deo beneficiis ; quantumcumque in orationibus tuis protestatus fueris te nunquam JESUM negaturum, cave tamen ; etenim si nutare ista Petra potuit, quid faciet arundo debilis ?

2° Et *quomodo*, o JESU, te Petrus negavit ? Neque semel, neque simpliciter, sed iterum et tertio, idque cum juramento et exsecratione. — Quis sacerdos non timeat sibi, cum videat quam brevi tempore, quamque turpiter ad extrema devenerit princeps Apostolorum ? Intelligamus ergo quam merito nos monuerit JESUS, dum dixit Petro ejusque sociis : « *Vigilate et orate, ut*

non intretis in tentationem. » Non oravit Petrus, non vigilavit, intravit in tentationem, tentationi misere consensit. An sufficienter *oro?* An sufficienter *vigilo?* An *obsto principiis* tentationum viriliter, sine hæsitatione, sine cunctatione?

3° Et *quare* negavit te Petrus, o JESU? Quia vilis ancillula ipsi dixerat: « *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?* » (Joan., XVIII, 17.) Ad hanc interrogationem ancillulæ istius, o Petre, trepidasti, et non ausus es confiteri Dominum tuum, Magistrum tuum, benefactorem tuum, amicum tuum; et hunc, tot titulis tibi cognitum, te negasti cognoscere! — Merito miraris, sacerdos, hominem tantæ virtutis, tantæ fortitudinis, tantæ fidelitatis, tanti ardoris in amando, sic subito a culmine tantarum virtutum corruisse. Sed attende tibi. Non solus Petrus ad vocem ancillulæ cecidit. Audi sanctum Joannem Chrysostomum, ad nostram sacerdotum instructionem varios enumerantem casus, quibus propter mulierem viri fortissimi misere perierunt: « O malum

summum, et acutissimum telum diaboli, mulier ! Per mulierem Adam in paradiso diabolus prostravit et de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum illum David, ut necem militis sui innocentis Uriæ in epistola dolo mandaret, armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit. Per mulierem fortissimum Samson rasum inductum cæcavit. Per mulierem castissimum Joseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum, totius mundi lucernam, Joannem capite truncavit. Per mulierem Angelos e cœlo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cœlum pergebant. Per mulierem omnia prosternit et jugulat, omnes interficit, omnes elidit. » (Hom. collecta ex variis in Matth. locis.)

4° « *Negavit ille, et dixit : Non sum.* » (Joan., XVIII, 25.)

Sunt sacerdotes qui *negant Jesum*, non verbo, sed *facto*.

Si divitias magni facis, appetis, avide quæris ; JESUM, paupertatis amatorem, negasti. — Si anxie contendis altius

ascendere, anhelando ad munera altiora, ad altiores dignitates ; JESUM, humilem corde, negasti. — Si quæ mundus amat et amplexus est, non abhorres, sed potius diligis et quæris honores, famam, magni nominis existimationem in terris, sicut mundus mundanos homines edocet; JESUM, contraria prorsus amantem et amplectentem, negasti. — Si totus es in comparando tibi quæcumque grata, quæcumque jucunda, quæcumque commoda, quæcumque carni et sensibus blanda ; JESUM, cujus vita crux fuit et martyrium, negasti. — Si per omnia, non Dei, non superiorum, sed tuam intendis adimplere voluntatem ; JESUM, qui obediens fuit usque ad mortem crucis, negasti. — Si vel minimam injuriam acceptam judicas pœna luendam et si expetenti injuriæ remissionem resistis ; JESUM pro tortoribus suis orantem, negasti. — Si adversa animo impatienti fers, et facile erumpis in verba murmurationis ; JESUM, extrema patientem neque os aperientem, certe negasti.

CONSIDERATIO.

De amore vocationis.

Nobis adlaborandum est ut in animis nostris vivide exprimantur mores Christi. Conformatio morum nostrorum cum moribus Christi signum est certissimum prædestinationis æternæ: non enim poterit damnare Deus animam in qua viderit expressam genuinam Filii sui imaginem.

Propter hoc quidem solum deberemus nos sacerdotes vehementer diligere nostram vocationem. Status enim sacerdotalis, totus quantus est, sua natura perfectissimam refert Filii Dei imaginem. Iisdem ducitur principiis ac Filius Dei; eumdem prosequitur finem ac Filius Dei; iisdem armis pugnat ac Filius Dei; iisdem ab inimicis impetitur ac Filius Dei; iisdem calumniis, vexationibus, injustitiis obruitur ac Filius Dei. Ut Filius Dei Familia nostra sacerdotalis posita est in resurrectionem et in ruinam multorum. Vocationem igitur ad talem ac tantum statum oportet diligamus ardentissime. Ast contra hunc amorem struere solet diabolus insidias suas, sicut instruit contra amorem Dei. Scit enim experientia multorum sæculorum sacerdotem qui fortiter diligit statum suum sacerdotalem, fortiter etiam incedere in via perfectionis. Fortiter enim nullus

diligit suam vocationem, quin intelligat se suum amorem probare debere *operibus*, et opera ad hunc amorem probandum antiora non esse quam ea quibus perfectissime enitatur *Christum Dominum imitari*. Ita ut dicere possimus omnium optimum esse signum aliquem suam vocationem vere amare, si *perfectam* sectetur et *continuam imitationem Christi Domini*. Si viderimus aliquem sacerdotem valde deditum humilitati, paupertati, patientiæ, caritati, statim concludere debebimus hunc vehementer affici erga suam vocationem.

Quare aliquoties quidam videntur minus diligere statum sacerdotalem suamque ad eum vocationem?

1° Vel quia in iis quibuscum vivere contingit non eam virtutem, non eam sanctitatem inveniunt, quam putabant inesse debere omnibus sacerdotibus. Sed si propter defectus, miserias, immo et peccata sociorum, minoris facis statum sacerdotalem eumque incipis minus diligere, ostendis, o mi Frater, te non esse justum aut prudentem rerum æstimatorem. An propter ambitiosas altercationes Apostolorum, propter Petri turpissimam negationem, propter horrendam Judæ proditionem, existimare licebit Apostolicam societatem, quam Filius Dei, Sapientia æterna, instituerat, non fuisse optimam, et talem ut quisquis amans saluti

suæ suæque perfectionis, debuerit exoptare ut in eam admitteretur?

In familia sacerdotali, absque ullo dubio, sunt sacerdotes imperfecti, sunt imperfecti superiores; sunt et in familia sacerdotali miseriæ et in ea peccata committuntur: an propterea judicabo familiam sacerdotalem non esse familiam perfectissimam, perfectissimas constitutiones et leges quibus dirigitur, perfectissimum finem, perfectissima media? Ita perfecta est, et hæc est nostra consolatio ingens, ut, etiam omnibus circa me deficientibus et tepide viventibus, si regulas quibus status sacerdotalis regitur, fideliter observavero, certissime perveniam ad summam perfectionem, ad summam sanctitatem. Simus igitur fideles statui nostro, et status nobis fidelis erit ad dandam nobis viam tutissimam ad salutem et perfectionem.

2° Vel quia non illa fruor felicitate, qua fruitus forsan fuissem, si mansissem in sæculo. Sed, mi Frater, *quare* non frueris hac felicitate, felicitate, inquam, filiorum Dei, nisi quia tu te non exhibes filium Dei? Sis humilior, sis patientior, ferventior, magis amans paupertatis, magis mortificatus, et felicior eris. Tua culpa est quod misere vivis in ipso hoc paradiso terrestri; quia nimirum in hoc paradiso gustare vis fructus vetitos, non illos quos tibi destinaverat Deus.

Utinam semper menti nostræ præsens sit hæc sancti Clementis exhortatio : « Igitur si viam et finem hujus vocationis peroptas, debella corpus ; appetitus carnales doma ; vince mundum Spiritu Dei ; fluxas et caducas, fœdas et flaccidas contemne hujus sæculi vanitates. Victor draconis, victor leonis, victor serpentis, victor Satanæ, remaneas in Christo JESU, ejus doctrina divinaque Eucharistia confortatus. Tolle crucem tuam, et sequere illum qui te abluit, JESUM CHRISTUM, Dominum tuum. Recte ac secure certaminis cursum consumma, non timens, sed fiducialiter sperans adventum Domini nostri JESU CHRISTI, ut assequaris bravium supernæ vocationis tuæ in Christo JESU. » (Epist. I ad Virgines sub ejus nomine, c. V.)

EXAMEN.

Circa modum pie decumbendi.

Dormivit Christus et somnum cepit, ut somnum nostrum sanctificaret. (S. Greg. Naz., Orat. 31.)

1° An decumbo hora statuta ?

a) An non *citius* tendo ad lectum vel ex pigritia, vel ex ignavia, vel ex nimio quietis amore ?

b) An non *tardius* lectum peto et protraho vigilias, legendo curiosa, aut confa-

bulando inutiliter, aut plus æquo lusui vacando, aut nugas faciendo ?

2° Cum experientia docuerit multos etiam sacerdotes, qui sani decubuerant, morte subita præoccupatos fuisse, an decubiturus peto a me ipso, si mihi ista nocte e vivis migrandum esset, quid maxime angeret, et de eo præsertim contritionem elicio ?

3° An, fideliter peractis precibus vespertinis, somnum futurum Deo offero, hoc fere modo : *Per quot momenta dormiero, mi Deus, toties te amare desidero ?*

4° An sequor monitum S^ti^ Ephrem dicentis : *Christianus, etiam cum solus est, cum induit aut exuit, se ipsum reveretur ?*

5° An dum vestem talarem exuo, modeste eam osculor, gratias agendo Deo quod eam gestare mihi concessit ?

6° An more piorum sacerdotum, dormiturus rosarium collo meo circumdo ?

7° An juxta consilium prudentum soleo incumbere dextero lateri, decussatis ante pectus brachiis ?

8° An decumbens rogo B. V. Mariam, S. Angelum custodem, meosque Patronos, ut, dum dormio, ipsi pro me Deum laudent et ament ?

9° An post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, in memoriam mihi revoco meditationis puncta ?

10° An expergiscens de nocte, statim

elevo mentem ad Deum, ad B. V. Mariam, ad Angelum tutelarem, rogans Angelum ut nomine meo salutatum eat JESUM in Tabernaculo pro me vigilantem ?

11° Tandem an decubiturus conor habere animum pacatum, abjiciendo diligenter omnem cogitationem quæ posset somnum impedire, et dicendo suaviter cum Propheta: *In pace in idipsum dormiam et requiescam?* (Ps. IV, 9.)

RECOLLECTIO V.

CONTEMPLATIO.

De gestis apud Caipham.

1um Præl. In memoriam revocemus quomodo JESUS apud Caipham fuerit a judicibus *examinatus, condemnatus, opprobriis saturatus.*

2um Præl. Petamus gratiam ex iis quæ JESUS in præsenti mysterio passus est, fructum *patientiæ* et *humilitatis* colligendi ubertim.

Ium PUNCTUM. — Jesus examinatur.

1° *Præses.*

Caiphas, summus sacerdos, a Deo ad talem ac tantam dignitatem evectus, creditur fuisse vir magni talenti, magnæque auctoritatis, sed passus est superari se passione, quam neglexit tempestive domare, *invidia* scilicet et *ambitione*, qua quidem abreptus, officio suo sanctissimo defuit et judicio sæculorum prævaricationis est damnatus. — Hinc disce, o sacerdos, quam maxime tibi cavere a tristissima illa animarum

epra, qua sacerdos sacerdotis rebus secundis conspicitur mœrere. — Hunc tamen judicem infidelem aspicit Jesus oculo fidei, et in eo agnoscens auctoritatem a Deo acceptam, ei non negat debitam reverentiam exhibere. — Si quando contingit, o sacerdos, ut ii, qui præsunt, tibi videantur duci, non ratione, sed potius libidine, eos tamen si, ut Jesus, oculo fidei consideres, revereberis eisque præstabis obedientiam.

2° *Judices.*

Et ipsi invidia et ambitione corrupti sunt; quærunt enim falsum testimonium adversus Jesum, sicque probant se non esse Jesu judices, sed ardentissimos hostes. Et tamen, o Jesu, non conquereris te talium judicio subjici; confidis enim æquitati Patris, qui poterit tempore opportuno humana reformare judicia. — Confide ergo et tu divinæ protectioni, o sacerdos, qui forsan te malevolo adversariorum judicio premi experiris. « *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* » (Rom., VIII, 31.)

3° *Testes.*

Quid eis turpius? Ecce vocati sunt

ut *falsum* exhibeant testimonium adversus JESUM, et ad tam flagitiosum testimonium se allici patiuntur spe mercedis ; et hoc patientissime pertulit JESUS ! — Habes igitur, o sacerdos, unde consoleris, tu qui forsan in omnibus fere quæ dicis, quæ agis, quæ pro gloria Dei aggrederis, intelligis nonnullos invidos fratres dicta tua, facta tua, maligna interpretatione perstringere. Contemne, et perge in bene cœptis, pro certo habens judicia *humana* nihil posse contra judicia *divina*. « Qui *autem judicat me, Dominus est.* » (I Cor., IV, 4.)

4° *Reus.*

Ipse Dei Filius est, innocentissimus, qui nullum unquam læsit, nulli unquam nocuit ; *qui pertransiit benefaciendo ;* qui tantæ est innocentiæ ut aliquando potuerit coram multitudine adversariorum exclamare: « *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* » (Joan., VIII, 46.) Stat inter satellites *ligatus* manus post tergum et *fatigatus:* laboriosa enim ei fuit hæc nox propter vigilias, propter vincula diu tolerata. Quanta autem sere-

nitas in vultu! Quanta modestia; quanta in corde pax et tranquillitas ; etsi ex vultu, ex gestu, ex sermone circumstantium prævidet tristem sibi judicii exitum instare. Intelligamus quam vere de eo vaticinatus sit propheta : « *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* » — (Ps. CXVIII, 61.) Recenseamus peccata nostra, ut sciamus quanta simus pars illorum vinculorum Christi.

« *Jesus autem tacebat.* » Hoc silentium dixit sanctus Ambrosius *triumphale ;* quod quidem confirmat sanctus Aug. hisce verbis : « *Contra dolos inimicorum dimicavit tacendo.* » — Quoties hoc JESU silentium imitari poterit sacerdos ! Nulla enim ratione melius vincitur calumnia quam tacendo, maxime in manifesta innocentia, cum sæpe soleat in responso captari occasio aliquid calumniandi. Similes ergo injurias, o sacerdos, *tacitus* Deo committe, et Deus tuam causam tuebitur.

II^um^ PUNCTUM. — **Jesus condemnatur.**

1° Princeps sacerdotum, invidia tabescens suique muneris oblitus, con-

vocaverat concilium et instituerat judicium, non ut cognosceretur veritas, sed ut morte turpissima Vir innocentissimus plecteretur. Exspectationi ejus non responderant falsi testes, et Jesus ne verbulum quidem protulerat unde occasio nasci potuisset quæsitæ calumniæ et condemnationis. Quare, impatiens prudentissimi illius silentii, Christum adjurat ut dicat sitne Filius Dei. Cui Christus : *Tu dixisti.* Miremur igitur reverentiam quam Jesus nomini Dei detulit, ut non nisi adjuratus responderet, etsi sciret adjurationem illam animo maligno fieri, et ex responsione sua imminere certam mortem. Docet nos Jesus nullo nos debere metu aut respectu a propagatione divini honoris detineri.

Quam opportune addidit Jesus : « *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* » Quasi dicat : Tu, o Caipha, et vos, o principes sacerdotum, injuste me nunc judicatis et damnatis tamquam pseudoprophetam et pseudochristum ;

at veniet dies ille in quo ego, qui nunc reus tribunali vestro adsto, sedebo judex. O si judices his gravissimis verbis JESU fidem adhibuissent, perculsi salutari timore, crimen inceptum abrupissent et, facti pœnitentes, veniam a futuro suo Judice supremo humili prece implorassent. Sed eheu! obcæcat mentem passio. Ergo Caiphas, scindens vestimenta sua, ait : *Quid adhuc desideramus testes ? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur ? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.* (Marc., XIV, 63, 64.)

Quid hac condemnatione turpius ? Christus quia veritatem dixerat, blasphemasse dicitur et statim communi calculo judicatur reus mortis.

Quid tu, o JESU ? Minime turbatus, tacitus *adoras voluntatem Patris*, et intimo animo *gaudes* quod tandem liceat tibi pro fratribus ponere animam tuam. — Quam diverso modo solemus nos agere, si subinde carpuntur maligne et pervertuntur dicta factaque nostra. Irascimur, conturbamur, animo dejicimur, nec quiescimus donec fuerit a capite

injuria depulsa. Quam prudentius ageremus, si intuitu ultimi judicii, æquo animo hominum injustitiam et malignitatem perferremus, dicentes cum Paulo: « *Bonum certamen certavi; cursum consummavi; fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* » (II Tim. IV, 8.)

2° Maximus noster *hostis* est *amor propriæ existimationis*, quem mundus non cessat stimulare. JESUS ab hoc hoste nos liberare cupiens, permisit ut sua bonitas sanctitasque, cujus comparatione aliorum sanctitas umbra tantum est, non solum non agnosceretur, sed etiam haberetur pro blasphematrice ipsius Dei. Idque apud *concilium* quod maxime venerabantur Judæi, et apud *sacerdotum principes*, qui eum statim condemnarunt. Itaque *speculum Sanctitatis* pro sordibus reputatur; et ego, vilis peccator, apud omnes in bona opinione esse volo; haberi volo vir sanctus, spiritualis, prudens; et quotiescumque accidit ut minus æquum de me instituatur judicium, me defendo et

omnem moveo lapidem ut jactura honoris quam brevissime resarciatur. Fac, o Jesu, ut tandem intelligam quis sit spiritus tuus, ut eo imbutus deinceps *amem*, *quæram*, *accipiam lætus*, pro amore tuo et similitudine, contumelias, falsa testimonia et injurias omnes, nedum eas abjiciam et abhorream.

III^um^ Punctum. — **Jesus opprobriis saturatur.**

1° Ex Caiphæ et sacerdotum judicio secutum est ut unusquisque reputans eum hominem pessimum, non modo nulla commiseratione moveretur, sed etiam pietatem adversus illum existimaret impietatem, ut fieri solet adversus insignes malefactores. Hinc statim *exspuerunt in faciem ejus, colaphis eum ceciderunt; velantes illius faciem palmas dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*, sine dubio eum dæmoniacum vocantes, samaritanum, voracem, potatorem vini, amicum peccatorum, violatorem sabbati, seductorem. O mi Jesu, quam

vere prædixit de te Isaias : « *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* » (Is., L, 6.) Quam merito per alium prophetam dixisti : « *Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum et abjectio plebis.* » (Ps. XXI, 7.) Et has omnes acerbissimas injurias *patientissime* pro me sustinuisti ! Erubesco, o amantissime Salvator, videndo quam *pauca* sint, quam *exigua*, quæ ex amore tuo perpetior opprobria, et quomodo ea sustineam *animo reluctante.* Cum gratia tua firmiter statuo in posterum *te sequi*, non *verbis* tantum, sed *opere, in ferendis injuriis.* « Domine, pati et contemni pro te! » (S. Joan. a Cruce.)

2° Cum summa reverentia accedamus ad JESUM, et cum sanctis angelis Eum piis et attentis oculis contemplemur, ut intelligamus *qualis* fuerit Rex noster in hac tristissima nocte. *Exterius* video te, o JESU, medium inter hostes vilissimos, funibus ligatum, ita ut cum veritate dicere possis : « *Tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os*

suum, sicut leo rapiens et rugiens. » (Ps. XXI, 13.)

Interius video te placidissimum, conformantem plenissime voluntatem tuam voluntati Patris. Video te fiducialiter conversantem cum Patre Eique omnia tua opprobria pro gloria ipsius et pro salute mundi offerentem. Audio te Patri commendantem Matrem tuam afflictissimam, Apostolos ex metu dispersos, Petrum foris lacrymantem amare. Audio te orantem pro judicibus tuis iniquis, pro perfido Præside, pro falsis testibus, pro tortoribus tuis, pro me peccatore. Utinam, o mi JESU, in mediis ærumnis, in doloribus, in opprobriis assuescam, ad tuum exemplum, conservare animi pacem,fiduciam filialem, unionem tecum arctissimam et spiritum orationis! Utinam, sicut tu, mentem intendam, non ad excogitandam injuriarum ultionem, sed ad reddenda pro malis bona. Dixisti enim aliquando : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. » (Matth., V, 44.)

CONSIDERATIO.

De meditando Evangelio. (1°)

Felices nimium sacerdotes qui cœleste pabulum quod in assidua Evangelii meditatione reperitur, animæ suæ comparare assueverint. Profecto ad hanc meditationem frequenter instituendam stimulant nos *excellentia materiæ, methodi facilitas, ubertasque fructuum inde percipiendorum.*

Excellentia materiæ.

Nobilissimi Scripturarum interpretes certatim librum Evangeliorum extulerunt laudibus, quarum *summa* non sine fructu hic proponitur.

1° Quid est *Evangelium?* Respondet Cornelius a Lapide : Evangelium est liber Christi; est philosophia Christi; est theologia Christi ; est *lætissimum* Christi *nuntium* de redemptione, de gratia et de æterna salute generis humani e cœlo per ipsum allata, ipsisque credentibus collata. Longe enim sublimiora et diviniora Christus *suo ore* locutus est quam per Moysen et prophetas locutus sit.

Quare Evangelium legere vel audire est *ipsissimam vocem* Filii Dei legere vel audire. Tanta ergo reverentia audiendum est Evangelium quanta *Christus ipse*, ut S. Antonium, S. Basilium, S. Franciscum, similes Sanctos factitasse legimus... *Nos itaque sic*

audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum. (S. Aug., Tract. 30 in Jo.)

Quocirca dum Evangelium in templo legitur, omnes ei assurgunt, quasi in eo Christum venerantes, simulque ad cœlum, quod in eo promittit, anhelantes, idque Apostolorum sanctione. Exstat de hac re in Corpore juris Anastasii I decretum ad omnes Germaniæ et Burgundiæ episcopos in hæc verba : « *Significastis quosdam in ecclesia quando leguntur Evangelia, sedere. Quod nullatenus deinceps fieri, apostolica auctoritate mandamus ; sed dum sancta Evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant et fideliter adorent.* (De consecr., Dist. I, Can. *Apostolica.*)

2° Porro *inter omnes divinas auctoritates quæ sacris Litteris continentur, Evangelium merito excellit.* » (S. Aug. De consensu Evangelistarum, lib. I, c. I.)

Evangelii *doctrina* longe excedit eam quæ in Moyse et Lege reperitur. Lex est veluti *umbra ;* Evangelium vero est ipsa *veritas* per legis typum adumbrata. — Lex est *nuntia timoris*, Evangelium vero *amoris.* Lex enim *mortem prævaricantibus* intentabat ; Evangelium præcipue *præmium credentibus* ostentat. Quare lex erat *servorum ;* Evangelium est *liberorum* et *filiorum.* Est

ergo Evangelium lex *libertatis*, lex *spiritus*, lex *beneficentiæ* et *caritatis*. Lex *bona terrena* et *caduca* promittebat ; Evangelium vero *cælestia* et *æterna*. — Lex erat onus *grave ;* Evangelium vero *leve*. — Lex erat *via* ad Christum et ad Evangelium ; hoc vero legis est *meta* et *terminus*, nimirum : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (Rom., X, 4) — Lex data fuit solis *Judæis ;* Evangelium *omnibus gentibus*. — Lex fuit *temporaria*, duravit enim dumtaxat usque ad Evangelium ; hoc vero permanebit semper eritque *æternum*. — Lex fuit *imperfecta ;* Evangelium vero quaquaversum, sive fidem, sive mores spectes, *integrum* et perfectum. Quocirca S. Cyrillus Alexandrinus : « *Oportebat*, inquit, *per Moysen tamquam puerum erudiri Israelem, qui puerilis adhuc et rudioris mentis erat ; at per Christum, in quo omnes sunt thesauri sapientiæ et scientiæ reconditi, descriptam veram et consummatissimam afferri scientiam.* »

3° Ita miro modo a Christo compositum est Evangelium, ut cuique hominum ætati, sexui, gradui conveniat, adeo ut *universalis* sit liber et veluti *universitas sapientiæ*. « Tota *vita Christi in terris*, ait S. Aug. (De vera relig. c. XVI), *per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.* » Omnia enim *bona mundi*, cum contempserit, contemnenda docuit ; omnia *mala mundi*, dum

perpessus est, perpetienda et superanda monstravit. Nihil enim Christus *verbo* docuit, quod non exemplo monstrarit. «*Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant: pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant: rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis exsecrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte mulctatus est Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes, non recte vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes, a semita deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit.*» (S. Aug., ibid.)

4° Merito igitur cum Corn. a Lapide concludere possumus Evangelium esse *communem curandarum animarum officinam*, e qua medelam quisque suo modo salutarem et accommodam queat seligere; est ergo veluti divina quædam *apotheca* rebus omnibus instructissima, quæ singulis temporibus, locis, personis, difficultatibus, periculis, morbis, malis pellendis, bonis accersendis, erroribus jugulandis, orthodoxis dogmatibus

statuendis, virtutibus inserendis, vitiis propulsandis, pharmaca, arma, instrumenta suppeditat. Ita nimirum Ecclesia ex Evangelio, dum agones erant martyrum, hausit constantiam et fortitudinem ; dum sæcula doctorum ac facultas docendi discendique, sapientiæ lumina, eloquentiæ flumina ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, quibus errores convelleret. In prosperis ex eo didicit humilitatem et modestiam, in adversis magnanimitatem, in tepore diligentiam et fervorem ; denique si quando tot labentibus annis senio, maculis, nævis deformetur, ex eo morum perditorum restitutionem reditumque ad pristinam virtutis dignitatem et statum sibi adsciscit. Quin temporibus nostris adeo turbatis, dum *Satanas aliique Spiritus maligni, ad perditionem animarum pervagantur in mundo*, Ecclesia per Evangelium homines tot insidiis seductos, brevi, quæ spes nostra est firmissima, et ad pacem victrix reducet et ad veram felicitatem.

Perbelle exclamat S. Ambrosius (Hexaem., l. V, c. VII : *Evangelium est, de quo martyr ascendit ; Evangelium est mare, in quo piscantur Apostoli, in quo mittitur rete cui simile est regnum cœlorum; Evangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria ; Evangelium est mare in quo Hebræus evasit, Ægyptius interemptus est ; Evangelium est*

mare, in quo divinæ gratiæ plenitudo est, et sponsa Christi Ecclesia, quæ supra maria fundata est, sicut dixit Propheta: Ipse super maria fundavit eam. Exsili super undas, o homo, quia piscis es; non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum et profundum; si serenitas, lude in fluctibus; si procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat.

Tota ergo, o sacerdos, tua sapientia, perfectio et felicitas tua sita est in eo ut *Christi doctrinam et vitam Evangelio descriptam, haurias, mediteris et moribus exprimas.* Quomodo autem et quo fructu? In sequenti recollectione explicabitur.

EXAMEN.

Circa lectionem piam.

Libri pii, dixit aliquis, *litteræ* sunt e cœlo ad nos allatæ, nosque illuc revocantes; *Verbum Dei* ad nos directum, in otio a nobis regustandum; *speculum* in quo homo se intuens, quæ prava sunt in se corrigat, quæ pulchra plus ornet.

1° An habeo *tempus adscriptum* lectioni piæ?

2° An lego libros *solide* scriptos, et qui magis excitant affectum quam nutriunt intellectum?

3° An præmitto lectioni *intentionem* pro-

fectus spiritualis, legendi scilicet non ut *doctior*, sed ut *melior* fiam ?

4° An præmitto etiam lectioni brevem orationem, ut dirigat Spiritus sanctus intellectum meum et cor meum, ita ut intellectus ex lectione percipiat *lumen*, et cor *robur* et vires ?

5° An lego, non *cursim* et *festinanter*, sed *graviter* et *morose*, ut lecta non tantum memoriæ inhæreant, sed intellectum persuadeant et cor penetrent.

6° An in legendo servo *modum*, ita ut nec curiositate nec aviditate abripiar? Sicut enim nimius cibus obruit stomachum, sic lectio *nimium* producta mentem fatigat.

7° An soleo lectionem oratione concludere, ut confirmet Spiritus sanctus quæ operatus est in me ?

8° An mihi familiare est adagium: *Non multa, sed multum ?*

9° An mihi mos est non *multos* libros *perfunctorie* legere, sed *paucos* accurate, ut divinæ illustrationi et inspirationi aditus pateat?

10° An ubi voluntas afficitur vehementius, *sisto* et affectibus quos experior attendo ?

11° An interdum, clauso libro, quæ legi mente revolvo, ut altius animo infigantur ?

12° Si *Scripturas sacras* lego, an recordor eas fuisse ipso Spiritu sancto inspirante conscriptas, et in eis verba vitæ æternæ contineri ?

13° Si *Sanctorum* vitam pervolvo, an cogito mihi imitandum esse fervorem quo ad virtutes acquirendas tam generose laboraverunt ?

14° Si *Evangelia* lego, an vivide mihi repræsento JESUM *loquentem, agentem,* ac si coram me præsentem haberem ?

15° An identidem quædam notatu digna transcribo, ut in memoriæ thesauro reponam ?

RECOLLECTIO VI.

CONTEMPLATIO.

De gestis apud Pilatum.

1um Præl. Videamus JESUM ligatum, stantem ante Præsidem, graviter a Sacerdotibus et Senioribus accusatum, Barabbæ postpositum.

2um Præl. Petamus gratiam libenter calumnias et opprobria cum Christo et pro Christo patiendi.

1um PUNCTUM. — Pilatus.

Ex iis quæ *dixit* et ex iis quæ *fecit*, conjicere est Pilatum virum fuisse inter coætaneos insignem et variis naturæ dotibus ornatum. Sincere examinavit JESU causam, et, non sine aliqua animi firmitate, ausus est declarare iterum atque iterum se in reo nullam invenire causam damnationis. Testatus est S. Petrus Pilatum vere voluisse dimittere JESUM. O si in hac via perrexisset, quam magnus fuisset oculis omnium sæculorum ; quanta splenduisset gloria, et quantam apud Deum consecutus fuis-

set mercedem! Sed ei defuit *constantia.* Incepit timere ne, si JESUM dimitteret, famæ suæ suæque fortunæ incurreret jacturam. Volens igitur sibi suisque negotiis consulere, neglexit rei salutem. Ab hoc momento multis se involvit laqueis, et tandem sacerdotum populique minis et furore victus, virum quem sciebat innocentem esse, *voluntati* adversariorum *tradidit* et turpi affecit morte. O Pilate, quanta fuit tua stultitia! Ecce præ manibus habebas auream occasionem tibi comparandi nomen gloriosum ; occasionem transmisisti ignaviter, et nomen nactus es ignominiosum.

Irascimur merito et succensemus huic judici, eo quod ex timore hominum caruerit *integritate, justitia* atque *fidelitate* in munere suo gravissimo adimplendo. Eheu! non unus sacerdos alterum se probat Pilatum. Pilatus es, tu, sacerdos, qui facilius cedens timori ne alicui viro præpotenti displiceas, sinis abusus in parœciam tuam irrepere et errores mentes parœcianorum pervadere. — Pilatus es, tu, sacerdos, qui,

gratia impellente te ad vitam perfectiorem, ad sanctitatem, propter quorumdam oblocutiones atque irrisiones, turpiter manes et quidem per annos in statu teporis atque mediocritatis. — Pilatus es, tu, sacerdos, qui, audiens sermones incongruos quibus lædítur caritas, roditur auctoritas, proximus vellicatur, subrides, stimulas, vel saltem approbas silentio, cum tamen ex officio tales sermones inhibere et inceptos abrumpere tenearis. — Pilatus es, tu, sacerdos, qui, videns fratrem tuum obnoxium esse calumniis et per ora hominum traductum injuste, taces, simulas, quasi tibi non nota esset ipsius innocentia, et sic ex ignavia vel ex puerili timore fratrem tradis voluntati calumniatorum. — Pilatus es, tu, sacerdos, qui intelligens mala folia in domos parœciæ ingruere, vel audiens in scholis infidelem magistrum parvulorum animas impiis verbis corrumpere, claudis oculos, claudis aures, et obdormiscis, et pateris agrum tuæ curæ a divina Providentia commissum, vepribus et spinis horrescere.

IIum PUNCTUM. — Sacerdotes.

1° Vi dignitatis et officii debebant sacerdotes veteris Testamenti non secus ac sacerdotes novi Testamenti, alios *veritatem edocere*, eos per viam *justitiæ* et *æquitatis* deducere, *innocentes* sua auctoritate *protegere*, *afflictos erigere*, *pauperes* et *derelictos consolari*, et tandem in omni virtutis exercitio aliis *exemplo præire*. Hæc via vere *sacerdotalis* est. Quam longe ab hac via declinaverant sacerdotes quibus se circumdatum videbat JESUS!

Odio et invidia obcæcati, audacter veritatem lædunt; falsa testimonia excogitant; ad ea alios aperte excitant, ut morti adjudicetur vir innocentissimus. Hunc autem crudeliter persequuntur, lacerant calumniis, conviciis obruunt, omni injuriarum genere perstringunt, et in eum plebem furore agitatam non cessant incitare. — Incredibile est ad quantam miseriarum abyssum prolabatur sacerdos, qui imprudenter detestandæ laxat habenas invidiæ. Oblitus suæ dignitatis, flocci facit JESU

tam frequentem fraternæ caritatis commendationem. Unice sollicitus de *sua* gloria, de *suis* bonis, *tristatur* et *indignatur* de gloria, de bonis aliorum ; *lætatur* de eorum malis ; bonas eorum qualitates silentio involvit, manifestam eorum virtutem calumniatur, et non timet eorum opera, quantum potest, *impedire*. Cruciatur continue, cum omnibus fratribus habet bellum et, si superior est, omnem apud subditos amittit auctoritatem. Faxit Deus ut omni tempore a tanto malo diligentissime caveamus. Nunquam obliviscamur *invidia diaboli* primos parentes nostros seductos fuisse, Abelem interemptum, Saulem ad Davidis necem instigatum, Christum per pontifices morti adjudicatum. — *Invidia est radix malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum.* (S. Cypr., De zelo et livore, num. 6.) *Invidia est diaboli inventum, pietatis impedimentum, via ad gehennam, privatio regni cœlorum, interitus vitæ, pestis naturæ, ipsi Deo contraria.* (S. Basil., hom. XI.)

O mi Jesu, ut hanc pestem a corde

meo in æternum amoveam, cum gratia tua firmiter statuo grates tibi agere quotiescumque videbo a fratribus meis aliquid prospere gestum, eisque sincero corde de successu congratulari.

2° Consideremus quantum *studium* qualemque *diligentiam* in male agendo ostenderint. *Et confestim mane Jesum duxerunt et tradiderunt Pilato.* Ecce totam noctem insomnem duxerant ut quærerent adversus JESUM falsa testimonia ; et simul ac dies illuxit, ne quid negligeretur, tradunt illum Pilato, neque desistunt donec morti adjudicatus sit. Utinam mihi sit talis *diligentia*, tale *studium* ad bene agendum! Erubesco, o mi Deus, dum comparo cum istorum studio et diligentia ad malum, *meam socordiam* et *tarditatem* ad bonum. Quam sæpe mihi opus est stimulis ad rem, quam peragere debeo, aggrediendam ! Et quanta facilitate incepta abrumpo, ubi vel minimam experior fatigationem! Profecto turpe esset si me promptiorem inveniret *somnus* quam *vigilia;* si plus temporis acciperet *quies* quam *labor.* Ignavia pessimum vitium

est. Ergo, o sacerdos, juxta monitum sancti Petri Damiani (Epist. 23, ad Gulielmum monachum),

Segnes rumpe moras; torporis frange catenas.

3° Tria accusationis capita contra JESUM *mentiuntur*.

a) *Invenimus*, inquiunt, *subvertentem gentem nostram;* quem sciebant morbos omnes curasse, vitia reprehendisse, et nominatim docuisse obedientiam scribis et pharisæis præstandam. b) *Prohibentem tributa dari Cæsari*, qui dari jusserat, et pro se et pro Petro dederat. c) Et *dicentem se regem esse*, qui, ne rex fieret, fugerat. Quis nostrum deinceps indignari poterit, si facta ipsius in pejorem partem trahuntur?

III^um^ PUNCTUM. — **Christus.**

1° Contemplemur Regem nostrum amantissimum eo momento quo a domo Caiphæ *violenter* ad domum Pilati *trahitur*. Sordescunt capilli, vultus et vestes *sputis* fœdissimis, quibus, per hanc tristissimam noctem, satellites et famuli Pontificis, non cessarunt divinam suam Victimam contaminare. Sed

quam placidus, quam *formosus* aspectu! — Crevit, o JESU, tua ignominia ex *multitudine crescente*, ex *qualitate* accusantium ; sunt enim legis periti, seniores, pontifices, sacerdotes, magistratus et judices, doctrina et religione maxime illustres, de quorum fide et integritate nulla erat suspicio. Crevit ignominia tua ex *defectu* defensoris. Crevit præsertim ex ratione *enormium criminum* de quibus accusabaris. Accusaris, o JESU, ut *in Deum blasphemus*, ut *proditor regum*, ut *prohibens solvi vectigalia*, ut *impostor* et *turbulentus*, ut *concitans populum ad seditionem*, ut perniciosæ doctrinæ *seminator*. — Et *taces*, o mi JESU! Silentio sublimi premis justissimam indignationem, et oras pro calumniantibus te! Quanta eloquentia doces me pro minimo habere judicia humana, et libenter *pati* et *contemni* pro te!

2° Quis verbis æquare poterit *magnitudinem ignominiæ* quam accepit JESUS ex imprudenti consultatione Pilati? Hic enim judex, ex tricis, quibus se involvit, cupiens se eripere, cum sceleratis-

simo latrone, homicida et seditioso, omnibus inviso, JESUM confert petitque a populo quem vellet dimitti. Verum populus, sacerdotibus suadentibus, Barabbam petit. Quanta, o mi JESU, hæc tua contumelia, non tantum cum tali nebulone *comparari*, sed etiam ei *postponi*, nempe *Agnum lupo*, *Justum* et *innocentissimum hominum homini sceleribus cooperto*, *sanguinario latroni auctorem vitæ!* Quid inde pati debuit cor tuum, o JESU? Sed amas me, et propter me amanter hanc supremam suffers humiliationem. Me miserum! qui multoties, populum judaicum imitatus sum, postponens te, o clementissime Salvator, non homini, sed turpi passioni, immo et diabolo. Et de hac mea stultitia nunc humiliter a te veniam imploro.

3° *Rex sum ego*, sed *regnum meum non est de hoc mundo*. (Joan., XVIII, 36.) Quam merito dixit JESUS regnum suum non esse de hoc mundo neque simile *regnis mundanis*. Hæc, ut insinuat JESUS, multo milite defenduntur, opibus florent, deliciis recreantur et pompis ;

regnum autem JESU consistit in splendore et pulchritudine animæ, in summa paupertate, in humilitate profundissima, in invicta patientia, in generoso rerum mundanarum contemptu, et præsertim in exercitio ardentissimæ caritatis. Quicumque in se experiuntur talia, merito censentur ad hoc JESU regnum pertinere, et bonis innumeris, quæ Rex clementissimus et sapientissimus suis præparavit, cum ingenti suavitate fruuntur. Dixit enim JESUS: *Tollite jugum meum super vos... et invenietis requiem animabus vestris* (Matth., XI, 29), et unanimi voce felicis istius regni incolæ exclamare: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit.* (Ps. XXII, 1.) *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* O JESU, adveniat regnum tuum!

CONSIDERATIO.

De meditando Evangelio. (2°)

Ad meditationem de Evangelio frequenter instituendam non solum nos stimulat *excellentia materiæ*, sed etiam *methodi facilitas* et *fructuum ubertas.*

Methodi facilitas.

Merito scripsit quidam : Verissimum est illud S. Augustini, *Recte novit vivere, qui recte noverit orare.* Recte autem orabit qui *bene fuerit meditatus ;* oratio siquidem *mentalis* est *anima* orationis *vocalis ;* et, ut corpus est mortuum ac immobile absque anima, sic et oratio absque meditatione inanis est et inanimis strepitus. — Dividitur autem oratio mentalis in *meditationem* et *contemplationem.*

I. *Meditatio* est quasi *studiosa* quædam et *matura* rei consideratio. Certum est hanc meditationem non posse fieri nisi res consideranda prius *memoriæ* objiciatur, deinde *intellectus* circa illam *ratiocinando* versetur ; ac tunc postremo succedit operatio *voluntatis.*

Est igitur *meditatio* exercitium trium potentiarum sive facultatum animæ. *Memoria* id in mentem revocat quod fides divina nos docet de re proposita : *quis* locutus sit vel egerit ; *quid, ubi, quomodo, quando ?*

Intellectus propositam veritatem *ponderat,* ut de ea penetretur ; etiam *rationes* adducit, quibus ad illam suscipiendam moveatur

Voluntas illis rationibus mota et perculsa, *affectus animi* elicit ; atque serio *statuit* juxta agnitam veritatem agere et *fructum capere.*

In praxi sex puncta seu quæstiones fiunt.

1° Quæ *materia meditationis* meæ ? Seu quam veritatem pie meditandam assumpsi? (Est exercitium memoriæ.)

2° Quid in hoc est *considerandum ?* Quæ *veritas practica* inde deducenda est ceu norma, qua vitam meam hic et nunc salutariter instituam ?

3° *Quæ rationes* adsunt seu motiva, quibus ad hanc veritatem sectandam inducar ? Nempe quam *gloriosum* sit, *justum*, *utile*, *facile*, *necessarium ?* (Est exercitium intellectus.)

4° *Quomodo* hanc veritatem in diversis vitæ meæ practicæ adjunctis huc usque *secutus sum ?*

5° Quid mihi in posterum *agendum* incumbit ? *Quid faciam* ut juxta finem meum sancte vivam, et vitam æternam lætus consequar ? (Est exercitium voluntatis.)

6° Quæ *obstacula* mihi manent amovenda et superanda ? Quæ *media* efficaciter *adhibenda ?* (Est fructum capere.)

Cuilibet meditationi præmittitur *oratio* præparatoria hujusmodi : « Benignissime Deus, qui hanc horam meditationis mihi elargiri dignatus es, ut te laudem et devote *te hic præsentem* adorem ; humillime gratiam tuam imploro, ut animæ meæ vires atque operationes omnes pure dirigam in laudem et obsequium tuæ divinæ majestatis..., et uberem fructum hujus meditationis conse-

quar. Amen. — Sancta Maria, mater Dei! Beatissime Joseph! et vos sancti patroni mei, orate pro me.

In *fine* meditationis colloquium instituitur, sive cum Christo, sive cum B. M. V., id petendo quod ad magis *sequendum* et *imitandum* Dominum nostrum judicavero expedire. Hæc colloquia non verbis exquisitis, sed in simplicitate cordis, cum pietate et affectu proferantur; sicut loqui solet filius ad patrem, servus ad dominum, amicus ad amicum, ægrotus ad medicum, debitor ad suum creditorem.

Meditationis *effectus* sunt peccata vitare, radices vitiorum evellere, malis cogitationibus aditum præcludere, affectus ordinare, judicium proprium abnegare, animam Christo subjicere, sensus internos et externos colligere, tentationes superare, rectificare intentiones, perficere virtutes, sustinere libenter adversa, vivere in tranquillitate conscientiæ, imitari Dei sanctitatem, juvare proximos ad omnem perfectionem.

II. Quando meditatio versatur circa mysterium vitæ Christi, rectius vocatur *contemplatio.*

Nihil *facilius*, nihil *jucundius* contemplatione ei qui rite intellexerit in quo consistat. Quod quidem juvat hic paucis explicare.

Materia est vita Christi Domini, tum qua

Deus est, tum qua homo ; scilicet Evangelia describunt *verba* et *acta* Christi Domini, quibus tum nos *redemit*, tum *docuit* quæ *credenda sunt*, quæ *agenda*, quibus *itineribus* ad vitam beatam tendere debeamus ; ut recte Evangelia definire possis cum Cornelio a Lapide ad mentem S. Hieronymi « *Breviarium* vel *compendium totius theologiæ et doctrinæ vitæque Christianæ.* »

Planius adhuc et plenius S. Basilius in Constit. monast., c. I : « *Omnis actio*, inquit, *omnis item sermo Salvatoris nostri J. C. excolendæ pietatis, virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim humanam naturam suscepit, ut in se velut in tabula quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis ante oculos statuiam, unicuique pro viribus imitandam seu archetypum proponeret.*

Contemplari igitur aliquod mysterium vitæ Christi, est *conspicere personas* quæ in hoc mysterio occurrunt, ad earum *verba attendere* et *actiones* earum *considerare ;* ita ut durante contemplatione, oculis mentis nostræ objiciamus :

1° *Personas*. et quod sive bonum sive malum præ se ferunt.

2° *Sermones*, quos conferunt. — *Sensus* earum et cogitationes.

3° *Opera*, seu laude seu vituperio digna, quæ exhibent. In singulis hisce punctis *ad*

nos reflectimus et attendimus, ut *fructum* spiritualem inde *capiamus.*

Unde S. Bonaventura in proœmio de vita Christi : *Tu,* inquit, *si fructum ex his sumere cupis, ita te præsentem exhibeas his quæ per D. N. J. C. dicta et facta narrantur, ac si tuis auribus audires et oculis ea videres, toto mentis affectu, diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis.*

Et ideo, ait Lud. Sax., quamvis multa ex his tamquam in *præterito* facta narrentur, tu tamen *omnia* tamquam in *præsenti* fierent, mediteris; quia ex hoc majorem sine dubio suavitatem gustabis. Lege ergo quæ facta sunt tamquam fiant. Pone ante oculos gesta præterita tamquam præsentia, et sic magis sapida senties et jucunda... Ubique et semper intuearis Eum devote in actu suo et moribus ; ut quando *stat* cum discipulis suis, quando cum peccatoribus ; quando *loquitur* et quando *prædicat;* quando *vadit* et quando *sedet;* quando *dormit* et quando *vigilat;* quando *comedit* et quando *ministrat;* quando *sanat* ægrotos et quando alia miracula facit: describens tibi in corde tuo mores ejus et actus, quam *humiliter* se habuit inter homines, quam *benigne* inter discipulos, quam *misericors* fuit erga pauperes, quibus se similem per omnia fecerat, et qui familia ejus specialis videbantur ;

quomodo *nullum sprevit* vel *horruit*, etiam si leprosus esset; quomodo *divitibus* non adulabatur; quam *liber* fuit a curis mundi, *nec anxius* pro corporis necessitatibus; quam *patiens* ad contumelias et quam *mitis* in responsis; quam *compositus* in omnibus gestibus fuit; quam *sollicitus* de animarum salute, quarum etiam amore dignatus est mori.

Quomodo seipsum præbuit exemplum *omnis boni;* quam *compatiens afflictis* fuit; quomodo *infirmorum* imperfectioni condescendit; quomodo *peccatores* non sprevit; quam clementer *pœnitentes* suscepit; quam *obediens* fuit parentibus; quam promptus in *ministrando* omnibus; quomodo *omnem jactantiam* et omnem singularitatis ostentationem declinavit; quomodo *scandalum* cavit; quam modeste in edendo et bibendo se habuit; quam *verecundus* in visu fuit; quam *studiosus ad orationem;* quam *sobrius ad vigilias;* quam *patiens* laboris et penuriæ, et quam *placidus* in omnibus.

Et similiter secundum hunc modum, in omnibus dictis et factis quæ de Christo legeris vel audieris, meditare qualiter ipse in omnibus se habuerit, vel habere potuerit secundum tuam æstimationem; quia in omnibus semper *optimo* et *perfectissimo* modo se gerebat qui in omnibus semper optimus et perfectissimus est. Erat in

aspectu dulcis, et in conversatione benignus ... Expergiscere ergo, anima Christo devota, exclamat Ludolphus, evigila omnis anima christiana, et singula quæ de Christo JESU dicuntur *diligenter* discute, considera *attente* *morose* pertracta, et Domini tui *imitare* vestigia. Ille propter te de cœlesti sede descendit ad terrena: tu propter te fuge terrena, appete cœlestia. Si dulcis est mundus dulcior est Christus; si amarus est mundus omnia propter te sustinuit Christus. Surge et ambula; noli pigrescere in via, ne locum perdas in patria.

EXAMEN.

Circa animi firmitatem.

Nihil sane magis dedecet sacerdotem quam *ignavia* seu defectus firmitatis. Videat igitur sacerdos an in se hujuscemodi firmitatis signa deprehendat.

I. Vir justus *in omnibus semper* manet *immobilis*; nam ipsum *humilitas non deprimit*, ipsum *honor* non *ambit*, ipsum *adversitas* non *frangit*. (S. Bonav. Tit. V Diætæ c. VIII.)

An talis sum ego?

II. Adversus *omnes diaboli terrores* et *minas mundi animus* firmus, et *immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat*. (S. Cypr., *De exhort. martyr.*, c. XII.

An talis sum ego?

III. Nemo valet mobilia diligere, et ipse immobilis stare. (S. Greg. l. VIII Moral., c. XLII).

An ego talia non diligo?

IV. Vir constans eligit *pugnare* ut vincat, *laborare* ut quiescat, *mori* ut vivat. (Hugo a S. Vict. l. III Miscell., cod. 2, tit. 19.)

An libenter pugno? an libenter laboro? an libenter morior mihi, ut Christo vivam?

RECOLLECTIO VII.

CONTEMPLATIO.

De Flagellatione Jesu.

1um Præl. Vivide nobis repræsentemus Christum columnæ alligatum, et circa eum tortores.

2um Præl. Petamus a Patre æterno gratiam Christo flagellato compatiendi et Dei flagella generose excipiendi.

Consideremus 1° Flagellationem,
2° Flagellatum,
3° Flagellandos.

III^um^ Punctum. — **Flagellatio.**

1° Perpendamus quam *stultus* sit, quam *injustus*, quam *crudelis* modus agendi Pilati. « Innocens est, ergo eum corripiam ! » Vere abyssus abyssum invocat.

2° Perpendamus *quale* sit supplicium cui subditur Jesus, considerando *a) quis* flagelletur et quanta ignominia; *b) quomodo* flagelletur, scilicet crudelissime.

Crudelitas supplicii æstimari potest

a *tortorum* quatuor certatim sibi succedentium *numero*, robore, immanitate, odio in Judæos, in regem; — *ex flagellorum* diversitate, pondere, aculeis ad tundendum et ad pungendum aptis (instrumenta triplicia dicuntur adhibita, virgæ spinosæ, nervi bovini, catenæ ferreæ); — ex *jussu Pilati* Judæos movere volentis; — ex *instigatione diaboli*; — ex *delicatissima corporis complexione*, sudore sanguineo, vigilia, variis vexationibus exhausti; — ex *plagarum numero*, quæ perhibentur ad quinque aut sex millia incussæ: « A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens » (Isai., I, 6); — ex *prophetiis*: « *Concidit me, vulnere super vulnus* » (Job, XVI, 15); quasi dicat: plagas plagis, vulnera vulneribus addiderunt, ut totum corpus concisum unum continuum videretur esse vulnus, ut insinuat (Ps. CXXVIII, 3): « *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores*, » id est, quasi *fabri* dorsum meum velut incudem contuderunt; — ex eo quod Christus nostras voluptates, con-

cupiscentias sceleraque omnia, quæ *plurima* et *gravia* erant, hac flagellatione luere et expiare voluerat. Insuper mereri voluit martyribus omnibus robur et vires ad flagellationes quaslibet fortiter tolerandas.

3° Perpendamus virtutes quas in sua flagellatione exercet Jesus. Quanta *patientia*, quanta *humilitas*, quanta *mansuetudo*, quanta *animi fortitudo*, quam læta voluntatis *conformitas!* « In his omnibus, ait Corn. a Lapide, stupendam et divinam animi patientiam, fortitudinem et constantiam ostendit, ut nec gemitum ederet, nec signum aliquod doloris daret, sed velut petra immobilis consisteret; immo omnia verbera omnesque dolores, quasi rex dolorum, sibi subjiceret iisque dominaretur animoque celso imperaret... *Amor* enim superabat dolorem et præ amore exiguus erat illi omnis dolor. »

4° Perpendamus quare flagellatus sit Jesus. Ex intentione *Pilati*, tum ut furiosæ plebi satisfaceret, tum ut, si forte eo crudelissimo spectaculo plebs mitesceret, eum liberaret. Ex intentione

Jesu, ut expiaret meam sensualitatem et dolores mei corporis sanctificaret. « Traditus est, ait S. Hieronymus, militibus verberandus, et illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax flagella secuerunt. Hoc autem factum est ut, quia scriptum erat *Multa flagella peccatorum*, illo flagellato, nos a verberibus liberaremur. »

II^um^ PUNCTUM. — **Flagellatus.**

1° Proponamus nobis ob *oculos* Christum marmoreæ columnæ manibus ac pedibus dirissime *alligatum*, — aculeatis virgis et catenarum uncis *laceratum*, — *carnem* ita discerptam, ut per vulnerum hiatus ossa conspici queant, — *sanguinem*, e venis toto corpore tamquam e fontibus *profluentem*. — *Videamus pavimentum* ac *muros* atrii divino sanguine *rubentes*. Et hic est Deus meus, Pater meus! Peccata autem mea quæ sic verberaverunt corpus JESU, detestabor.

2° Excipiamus *auribus* duros verberum crepitus; — audiamus quoque sanguinis e vulneribus tamquam e fontibus

in terram defluentis strepitum ; — audiamus aliquo modo *silentium* Jesu.

3° *Odoratu* percipiamus pretiosissima divini sanguinis *unguenta*, quibus lethalia nostra vulnera foventur. — Odoremur suavissimum horum unguentorum halitum, quo mundus universus et cœlum ipsum impletur.

4° *Gustatu* dulcissimi sanguinis delicias degustemus.

5° Spiritu *osculemur* flagella et carnem sacratissimo cruore madentem ; — oscula figamus parietibus et pavimento pretiosissimo cruore aspersis ; — amplectamur toto affectu et osculemur columnam eodem rore sudantem.

Da mihi, o Jesu, ut jugiter ante oculos habeam imaginem tuæ cruentæ flagellationis. Videam te, benignissimum Salvatorem meum, toto corpore laniatum, sanguinem undique profluentem. Audiam strepitum ictuum, clamorem tortorum. Conspiciam sparsa cutis et carnium fragmenta. Contempler quomodo, fatigatis tortoribus, dum e columna solveris, concidas in terram, ibique, in tuo sacratissimo sanguine

volvaris, et reptes ad vestes tuas! O sane petis a me ut cessem flagellare te nævis et imperfectionibus meis. Cum gratia tua, o JESU, ab impia hac flagellatione cessabo.

III^um PUNCTUM. — **Flagellandi.**

1° Nos flagella Dei libenter debemus sufferre, ut unusquisque nostrum possit cum Psalmista dicere : *Quoniam ego in flagella paratus sum.* (Ps. XXXVII, 18.) Et merito quidem, quia si unicus Dei Filius paratus fuit suscipere in se *nostra flagella* ex obedientia Patris, cur et nos adoptivi non essemus parati sufferre *flagella ejusdem Patris*, quæ ipse per se vel per ministros, seu instrumenta sua media, nobis misericorditer infligere dignatur ad emendationem nostram? Nam secundum Apostolum : *Quem diligit Deus castigat ; flagellat autem omnem filium quem recipit.* (Hebr., XII, 6.) « Flagella tua, o Deus, ait S. Greg. Magn., amoris sunt indicia. Percutit Deus et sanat, quia quos per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. »

2° *Multa flagella peccatoris.* (Ps. XXXI, 10.) Homo multis de causis flagellari consuevit : primo, ad *purgationem*, ut Maria, soror Moysi ; secundo, ad *probationem*, ut Job ; tertio, ad *humiliationem*, ut Paulus ; quarto, ad *glorificationem* divinæ potentiæ, ut cæcus natus ; quinto, ad *commendationem divinæ clementiæ*, ut pater Joannis Baptistæ ; sexto, ad *manifestationem divinæ justitiæ*, sicut Herodes ab Angelo percussus ; septimo, ad punitionem *parentum*, ut pueri Sodomitarum ; octavo, ad *terrorem aliorum ;* nono, ad *detestationem criminum.* Omne igitur flagellum quod a Deo infligitur, *utiliter* infligitur, cum sit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Ergo hoc flagellum amanter sustinebo.

CONSIDERATIO.

S. Joseph, suæ Familiæ protector fidelissimus.

I. Quadruplici subsidio suam Familiam S. Joseph protexit, nempe *humilitate* sua, *labore*, *oratione*, *sui abnegatione*.

1° *Sua humilitate.* Deus enim humilibus dat suam gratiam.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit ; et *alta* a longe *cognoscit.* (Ps. CXXXVII, 6.)

Humilitas S. Joseph in eo stabat *a*) quod libenter egit vitam absconditam ; *b*) quod contemnebat mundum mundique vanitates ; *c*) quod nullum hominem despiciebat ; *d*) quod propriis suis oculis vilescebat ; *e*) quod patienti, immo gaudenti animo suscipiebat opprobria et hominum contemptus.

Sic a domo sua avertebat mala et ad eam attraxit bona innumera.

Nostra familia est parœcia, nostrum collegium, nostra communitas. Hanc familiam protegere debemus nostra vera, solida, constanti humilitate. Aliquoties parœcia vel collegium minus prospere res suas gerit, quia vel unum membrum superbit ; et e contrario, res suas optime gerit propter unius humilitatem.

2° *Suo labore. Quis* ejus labor erat? Oculis hominum vilis et *abjectus,* sed nobilissimus in oculis Dei ; labor secundum voluntatem Dei. *Pro quibus* laborabat? Pro JESU et Maria, scilicet cum purissima intentione. *Quomodo* laborabat? *Serio... generose...' gaudenter.* Debemus nos etiam nostros labore protegere et sustentare. Sed non omni labore protegitur communitas, sed eo solo labore qui sit secundum voluntatem divinam, qui recta suscipiatur intentione,

qui *serio* peragatur, generose atque cum amore.

3° *Sua oratione.* In oratione Patri æterno commendabat Parvulum ejusque Matrem frequenter, cum magnis desideriis ignitisque verbis.

Sic nos agamus oportet. In oratione igitur, frequenter, ardenter et sincere Deo commendemus parœciam, collegium, communitatem. Ut S. Ignatius dicere solebat, totum ædificium nostris humeris sustinere debemus, orando, gemendo, supplicando apud divinam Majestatem, sine *qua nihil* possumus.

4° *Sui abnegatione.* Pro hac sua Familia S. Joseph vere se devovit. Pro ea summam amplexus est paupertatem ; pro ea subiit exsilium ; pro ea accepit libenti animo mortem.

Utinam nobis persuasum sit nos nostra abnegatione melius quam omni alia ope protecturos esse familiam nobis a divina Providentia commissam. Simus nostra abnegatione veluti *valles*, et ad nos ubertim de summis montibus defluent torrentes gratiarum.

II. In specie, *Jesum* protexit S. Joseph, erga eum duplici munere functus fidelissime. Functus est munere *nutritii* et munere *liberatoris.*

1° *Jesum nutrivit,* quanta cum sollicitu-

dine, quanta cum patientia, quanta cum constantia, quanto cum amore!

Pauper erat, ac proinde non nisi in sudore vultus, et artem exercendo duram et valde gravem, JESU ejusque Matri quotidianum panem procurabat. Spectaculum erat Deo et Angelis mirabile. Videbant enim sanctum virum regiis manibus *pro sceptro*, ad quod jus habebat, tractantem *instrumenta fabrilia*, a summo mane ad vesperam usque, et id quidem per multos continuos annos, usque dum efflavit animam. Videbant laborantem, sudantem, fatigatum. Sed ad vires renovandas, ad animos resumendos sufficiebat illi ut conjiceret oculos in hunc amantissimum simul et pauperculum Filiolum. Quam libenter totum sanguinem dedisset ad eum nutriendum!

Hinc conjicere est quanta fuerit et quanta nunc sit ejus apud JESUM potestas. Non miror quod creditur a fidelibus christianis tanta pollere auctoritate apud Filium suum in cœlis regnantem, ut nullus sit qui frustra ejus implorarit unquam auxilium.

Hinc etiam concludere debemus, ingentes ei gratias habendas quod tanto cum labore, tanta cum fatigatione, tanta cum abnegatione pro nobis *nutriverit divinam victimam*, supremo sacrificio pro salute humana destinatam.

Hinc etiam habemus unde gaudeamus

quotquot vocatione præpositi sumus parvulorum educationi, quod in tanto munere adimplendo S. Joseph nobis datus sit *in exemplum* et *in adjutorem* potentissimum. Nutriendo parvulos cibo spirituali, aliquo modo ipsum Filium Dei nutrimus; dixit enim aliquando: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* (Matth.. XXV, 40.)

2° Functus est etiam erga JESUM *munere liberatoris.* A teneris annis Filio Dei obvenerunt humanæ contradictiones. Vixdum aliquot vitæ suæ mortalis dies numerabat, et jam impetebatur crudelissimi tyranni ferro. Vigilabat Joseph, et puerum JESUM eripuit summo, cui exponebatur, periculo. Admonitus ab Angelo, surrexit de nocte, aggressus est longinquam peregrinationem, et *promptitudine* sua, *generositate* ac *prudentia* Herodis calliditatem antevertit et superavit. Pro nihilo duxit itineris laborem, omnium rerum privationem, durissimum exsilium multorum, ut creditur, annorum, quia sciebat se per hæc liberare Filium Dei a crudeli insectatione impiissimi regis.

Hinc conjicere est quantam habeat potestatem ad liberandos omnes qui, in aliquo periculo constituti, ejus implorare auxilium non omittunt.

Hinc concipienda est nobis summa erga illum fiducia, ita ut illi audacter committa-

mus omnia nostra negotia, difficultates, tentationes et omnes quibus premimur miserias.

Simus et nos *parvulorum liberatores*. Nullo tempore opportunius fuit hoc nostrum consilium. Non unus enim Herodes, sed milleni parvulorum atque innocentium inhiant perditioni. Nostrum est e faucibus illorum parvulos liberare. Quomodo ? Agendo *prompte, generose, prudenter*.

a) *Agendo prompte*. Nostris temporibus orta *scholarum lucta*, omnium admirationem moverunt Belgæ, qui viso hoste, tamquam leones surrexerunt, et *promptitudine* sua partim hostem devicerunt. Sed non sufficit.

b) *Agendum est generose*. Generositas hæc consistit in hoc ut libenter sustineamus labores, fatigationes et alia incommoda non pauca quæ exigit scholarum erectio, conservatio et administratio. Etiam in hoc Belgæ dederunt exemplum. In historia ecclesiastica Belgii *aurea pagina* erit illa quæ clerus et totus populus, occasione impiæ legis, libenti animo subjecerunt.

c) *Agendum est prudenter*. Prudentiam hic voco quamdam animi firmitatem qua fit ut non sinamus nos *vinci* labore aut fatigatione. Etiam in hac re verissimum erit quod dixit Dominus de salute æterna : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

(Matth., X, 22.) In omni bello, in omni certamine, non primus impetus pugnantium tribuit victoriam, sed *ultimus*. Ergo debemus continuare conatus nostros, nostros labores, nostra sacrificia usque dum habeamus plenissimam victoriam. Nostra igitur prudentia erit omnem movere lapidem ut scholæ a nobis erectæ floreant, virescant, consolidentur, ita ut ad perfectionem usque, si fieri potest, perducantur.

EXAMEN.

Circa modum se vincendi.

1° An generatim *naturæ* abnuo quod expetit sine utilitate?

2° An a natura exigo quod sine ratione recusat?

3° An naturæ resisto expetenti ut plus æquo in lecto maneam?

4° An naturæ resisto impellenti me ut commoda corporis exquiram?

5° An naturæ resisto inducenti me ut præ tædio orationem decurtem, in aliud tempus differam, vel prorsus omittam?

6° An naturæ resisto persuadenti mihi ut inter edendum *eligam* quod melius est, sapidius, exquisitius?

7° An naturæ resisto instiganti me ut accumbens ad mensam, *statim* pro appetitu

cibos arripiam eosque aliquo modo videar devorare ?

8° An resisto naturæ impellenti me ad tristitiam, qua interius laboro, exterius exprimendam ; potius tunc cantando, et omni modo me lætum probando ?

9° An resisto naturæ proponenti mihi ut, cedens vanitati et plausuum desiderio, verbum lepidum dicam ?

10° An resisto naturæ, dum excitat me ad iram et ad vindictam, ostendendo me placidum et adversario officium caritatis præstando ?

11° An resisto naturæ, dum impellit me ad loquendum vel ad agendum, cum vehementer animum commotum experior ?

12° An resisto naturæ excitanti me ad recitandum *citissime* breviarium vel ad munus quodvis impatienter peragendum ?

13° An resisto naturæ inducenti me ad conquerendum de malis quæ patior, de doloribus quibus torqueor ?

14° An resisto naturæ proponenti mihi ut loquar de me, de meis laboribus, de rebus a me prospere gestis ?

15° An in omnibus sino me duci non motibus naturæ, sed motibus *gratiæ* et divini amoris ?

RECOLLECTIO VIII.

CONTEMPLATIO.

De spinea corona Jesu.

1um Præl. Videamus JESUM chlamyde amictum, spinis coronatum, in dextera tenentem arundinem, et sic a Præside populo exhibitum.

2um Præl. Petamus gratiam intime *cognoscendi* tormenta et opprobria amatissimi Regis nostri, et ex corde *compatiendi.*

In contemplatione hujus mysterii opus non est magna ratiocinatione; sufficit enim *aspicere* quæ facta sunt, *audire* quæ dicta.

Ium PUNCTUM.

« *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.*» (Joan., XIX, 2.)

1° Ecce, dirissima JESU flagellatio nondum tortorum satiare potuit crudelitatem. Novum et inauditum excogitant supplicii genus, idque *contumelia*

et *doloribus* plenum. Nonne, o mi Deus, id factum est, quia nos nullum finem facimus offendendi te, et novos in dies modos excogitamus explendi cupiditates nostras? Fac ut ego, sacerdos tuus, novos excogitem modos te diligendi, te glorificandi, cupiditatesque meas mortificatione vere sacerdotali refrenandi.

2° Perpende, o anima, singula quæ pro te patitur JESUS.

a) Novam *verecundiam*, novos *dolores*, novam *contumeliam* subit Dominus, dum sentit sibi cum violentia *detrahi vestem*, quæ ejus vulneribus inhærebat, adeo ut, vulneribus iterum hiantibus, copioso sanguine totum corpus cœperit manare.

b) Plectunt milites coronam de spinis acutissimis eamque imponunt capiti JESU delicatissimo, non leviter sed *vi eam imprimentes*, ut spinæ per frontem, per tempora, per cranium altissime infigerentur. Audiamus coronationis Christi acerbitatem paucis describentem S. Birgittam ex revelatione B. Virginis, l. I. Revel., c. x.

« Quo facto, ait Maria, aptaverunt coronam de spinis capiti ejus; quæ tam vehementer reverendum caput Filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi ejus, obstruerentur aures, et barba tota decurrente sanguine deturparetur. » Et l. IV, c. LXX : « Et tunc corona spinea capiti ejus arctissime imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus et crines, et oculos et barbam replentibus, ut quasi nihil nisi sanguis totum videretur. »

Et tu, o mi JESU, *tacens et cum amore* hoc tormentum sustines propter me. Etenim, ut ait Origenes, *in hac spinea corona, suscepisti spinas peccatorum meorum, intextas in capite tuo.* — Quis autem numerare poterit spinas quas a pueritia ad hoc usque momentum capiti tuo crudelis intexui ? O liceat mihi nunc *per verum dolorem* eas ex capite tuo extrahere, et deinceps me paratum probare mori millies, potius quam vel unam addere spinam iis, quibus non cessant te torquere peccatores.

3° S. Athanasius docet Christum spinis coronatum fuisse ut *nostras spinas*, id est, *sollicitudines* in se suscipiens curaret atque sanctificaret. Sanctus autem Bernardus monet nos *non decere sub capite spinis coronato membra esse delicata*. Atque membrum delicatum es tu, o sacerdos, si detrectes carnem pungere et domare jejuniis, ciliciis, disciplinis. Membrum delicatum es tu, si corporis dolores animo suscipis impatienti, de his conquereris, hisque *nimia cura* quæris te liberare. Membrum delicatum es tu, si, propter frequentes et violentas tentationes, indulgens tædio et tristitiæ, dilabi te sinis ad vitam remissiorem. Quin imitaris Sanctos! Quadam die fertur Dominus Jesus S. Catharinæ Senensi obtulisse duas coronas, unam *spineam*, alteram *gemmeam*, dans ei optionem eligendi utram mallet, sed hac lege ut, si unam eligeret in hac vita, alteram ejus vice acciperet in futura. Mox illa arripiens coronam de manu Christi *spineam*, capiti suo infixit adeo valide, ut per plures dies capitis dolores

senserit, ideoque jam pro spinea *gemmeam* in cœlis recepit.

S. Agapitus, ut narrat Corn. a Lapide, cum capiti ejus prunæ ardentes imponerentur, memor spineæ coronæ Christi, exsultans ait : « Parum est in terra caput aduri, coronandum in cœlo. » Ergo item cogita quisquis capitis dolores, angores, molestias, tentationes, tribulationes pateris ; cogita Christum unam e spinis coronæ suæ tibi communicare.

IIum PUNCTUM.

1° *Posuerunt...arundinem in dextera ejus ; et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus.* (Matth., XXVII, 29, 30.) *Et dabant ei alapas.* (Joan., XIX, 3.)

Quot et quanta ludibria ! Quot et quantos dolores sustines pro me, o JESU, in hoc tristissimo dramate ! Et taces, et invicta patientia accipis *alapas*, fœtida *sputa, ictus arundinis, irrisiones*, et benigno oculo aspicis tortores tuos, et intimo corde dicis ad Patrem : Pater

mi, dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt.

Quare, o mi Jesu, talia in te fieri permisisti? Nonne ut certissimum mihi dares ardentissimæ tuæ erga me caritatis argumentum? Nonne etiam ut hominibus exhiberes ideam *vanitatis* et *afflictionis* regnorum et honorum mundi, omniumque regum et principum? Nonne ut doceres nos *regnum mundi* situm esse in honoribus, pompis, deliciis, *tuum* vero consistere in contemptu honorum, voluptatum et sui ipsius? Nonne tandem ut mihi adderes animos ad quodvis tolerandum pro tuo amore? Væ igitur mihi si, oblato tam præclaro humilitatis speculo, *superbia tollor in altum, opprobria refugio, et ad honores aspiro.*

2° *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum, et dicit eis* [Pilatus]: *Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* » (Joan., XIX, 5, 6.)

Contemplemur piissimis oculis Regem nostrum in propylæo prætorii

stantem *in diademate, quo coronavit eum mater sua,* Synagoga scilicet invidorum Judæorum, et audiamus S. Anselmum in Libro meditationum et orat. : « Attende, anima mea ; quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus est : coronatus incedit, sed ipsa ejus corona cruciatus est illi, et mille puncturis speciosum ejus verticem divulnerat ! »

Vere, o mi Jesu, factus es *spectaculum* : mundo et Angelis quidem ad *reverentiam* et *adorationem ;* hominibus Judæis ad *scandalum* et *majorem invidiam ;* mihi autem ad *amorem.* Ad hoc spectaculum volo cum angelis exercere affectus *admirationis, adorationis, amoris* erga Deum et Dominum meum. Volo cum Ecclesia dicere ex toto corde : *Tu rex gloriæ, Christe,* tu Patris es Filius unigenitus. O adveniat regnum tuum ! Vivat rex meus in æternum ! Regi meo immortali honor et gloria in sæcula sæculorum. Tu, o Jesu, vere te tradidisti pro me ; ego me trado vicissim tibi ; trado me voluntati Patris tui ;

trado me vocationi meæ; trado me superioribus meis; trado me divinæ tuæ providentiæ in æternum.

CONSIDERATIO.

Maria, refugium sacerdotis.

Refugium sacerdotis vere est ipsa Virgo Maria. Hæc sane veritas aptissima est Sacerdotem in mediis laboribus, doloribus et angustiis suæ sanctæ vocationis sustinere, consolari, inflammare zelo ardentissimo ad Dominum glorificandum et ad animas salvandas. Quare utile erit eam penitus inspicere, perpendendo verba JESU jamjam morientis ad Joannem : « *Ecce mater tua.* »

1° Contemplemur igitur Regem nostrum amabilissimum eo momento quo, suspensus in ligno, exhaustus cruciatibus et satiatus opprobriis, commutaturus erat paradiso hanc tristissimam vallem lacrymarum. Mente revolvit triginta tres annos quos inter mortales transegit, exquirens a se an satis fecerit pro homine ; an ei, quidquid dare potuit, dederit. Et ecce, videns Matrem suam benedictam, stantem juxta crucem dolorosissimam : « Hæc mihi restat, apud semetipsum dicit, et hanc homini dabo; » — et ad Joannem: « *Ecce mater tua !* »

Serio consideranti hæc JESU verba, pate-

bit facile ea spirare immensam JESU erga nos bonitatem, ineffabilem misericordiam, ardentissimum amorem.

Tot ac tanta fecerat pro homine; pro ipso oraverat, jejunaverat, injurias devoraverat, miracula patrarat, semetipsum in cibum dederat, et mox pro ipso ultimum efflabit spiritum. Prævidet JESUS iterum hominem peccaturum, iterum incursurum divinæ Justitiæ pœnas. Quid faciet JESUS? *Matrem suam homini dat tamquam matrem!* Et hanc Matrem omnipotentia aliqua donat in terris exercenda contra infernum, et, ut ita dicam, contra suam Justitiam.

Non ignorabat Matrem suam singulari amore filios suos prosecuturam esse, eamque singulariter a filiis suis fore diligendam. Prævidebat eam ad Filium suum pro filiis suis reis misericordiam imploraturam; sciebatque se nihil Matri petenti negaturum. Ergo pro certo habebat Matrem suam ita misericordiam suam exercituram esse ut merito ministri Dei dicere possent vel maximis peccatoribus: «Itead Mariam, Mariam invocate, haud dubie salvabimini.» Pro certo igitur habebat innumeros cœlo inserendos esse peccatores per Mariam. Et propter hanc causam, o mi JESU, nobis dedisti Matrem tuam ut Matrem. Infinitas gratias tibi agimus pro hac tali ac tanta donatione.

2° « Ecce Mater tua. »

Per hæc verba suam Matrem dabat JESUS omnibus hominibus, eam dando Joanni; sed Joannes *sacerdos* erat, et propterea merito putabit sacerdos hæc JESU verba speciatim spectare sacerdotes. Quanta consolatio!

O sacerdos, amplectendo sacerdotium, valedixisti matri quæ te in lucem ediderat, quæ te magnis curis aluerat, quæ sacrificiis non exiguis educaverat. Attamen valedicendo matri tuæ, non amittebas *animum filialem;* sine matre esse non poteras, et propterea tibi suam dedit Matrem JESUS. Hanc deinceps evigilans mane toto affectu salutabis; hanc vespere decumbens orabis ut tibi suam impertiatur benedictionem; hanc omnium consiliorum tuorum sociam habebis; hanc testem habebis fidissimam tristitiæ lætitiæque tuæ.

Ut apostolus, luctari debebis adversus mundum, adversus dæmonem pro tua salute eorumque, quorum tibi cura commissa est. « Ecce Mater tua! » Eam proclamat Spiritus sanctus *terribilem ut castrorum aciem ordinatam.* Ipsa pede suo immaculato caput serpentis infernalis contrivit. Noli igitur timere; hostis tuus quantumvis potens, nomine Mariæ invocato, a facie tua fugiet, et tibi operam navanti apud ægrotos et moribundos minime molestus erit.

Ut viro apostolico, multa obvenient tibi ingrata, molesta et tædio plena. Innumeras forsan experieris miserias ex parte adversariorum, ex parte invidorum fratrum, ex parte cognatorum atque familiarium, ex parte indolis tuæ, ex parte defectuum tuorum et peccatorum ; non raro tentaberis tristitia, timore et animi dejectione. Fiduciam habe ; dedit tibi JESUS Matrem suam, et hæc est consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, salus infirmorum, auxilium Christianorum. Lacrymas effunde tuas coram ipsa; manu sua benignissima eas absterget et mira suavitate cor tuum implebit. Est enim *Mater tua !*

Forsan obnoxius eris calumniis, vexationibus, persecutionibus, hominum injuriis ; tunc, si unquam alias, tibi currendum erit ad matrem quam dedit tibi JESUS. Ipsa tibi in memoriam revocabit calumnias, vexationes, persecutiones, quas tanto cum amore pro te passus est Filius suus; ante oculos tuos ponet eum cruce onustum, toto corpore laniatum, spinis coronatum, in turpi ligno inter opprobria et populi clamores exspirantem. Hinc tibi animus erit et fiducia.

O sacerdos, quam ardua, quam difficilia sunt opera quæ sublimis tua vocatio tibi imponit ad pascendum gregem tuum ! Tuum est ovem perditam omni diligentia quærere, post multam fatigationem inventam hume-

ris imponere, et ad ovile reducere. Tuum est te totum impendere peccatorum conversioni, sanctificationi justorum, parvulorum instructioni, ægrotantium consolationi, pauperum sustentationi. Tuum est te omnibus omnia facere ut omnes lucrari valeas Christo. Vis laborum tantorum exitum felicem? Ecce Mater tua! Ipsa tibi ad corda hominum viam sternet; per ipsam hominum corda devinces.

O sacerdos, tibi ut cæteris hominibus dictum est: *Morieris* enim *tu*. (IV Reg., XX, 1.) Qualis erit mors tua? Fortasse non carebit quadam amaritudine, propter gravissimos corporis dolores, propter animæ angustias, propter conscientiæ remorsus Sed ecce Mater tua! Adstabit tibi morienti; augebit fiduciam, dæmonem fugabit, spe æternarum voluptatum animam tuam replebit, suavissime in aurem suggerens: *Servus Mariæ non potest perire!*

Ergo, o sacerdos, totus quantus es, esto Mariæ. Prima sit tibi in *mente*, prima in *corde*, prima in *ore*, prima in *opere*. Semper, ubique et in omnibus memoriæ præsens sit Maria. Omnia in te spirent Mariam. Si coram te laudetur, gaude ut filius amantissimus; si coram te ipsius lædatur honor, exsurge sancte irascens, ut strenuus Matris defensor. Si tu de ipsa loquaris, sermo tuus non sit frigidus sed ferventissimus, et talis

qui omnium audientium corda amore Mariæ inflammet. Ita eris verus Christi apostolus, genuinus Evangelii operarius, generosus animarum salvator, felix in vita, felicior in morte, felicissimus in cœlo *per Mariam*. Amen !

EXAMEN.

Circa simplicitatem.

In simplicitate cordis quærite illum. (Sap., I, 1.) Etenim *cum simplicibus sermocinatio ejus.* (Prov., III, 32.)

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. (Matth., XVIII, 3.)

I. In genere.

1° An agnoscere me possum in hoc simplicitatis speculo descripto a S. Greg. (L. X Moral. c. 28) : Nihil per ostensionem fingere? — Sensum verbis aperire? — Vera, uti sunt, diligere? — Falsa devitare? — Bona gratis exhibere? — Mala libentius tolerare quam facere? — Nullam injuriæ ultionem quærere? — Pro veritate contumeliam lucrum putare?

2° An agnoscere me possum in hoc altero simplicitatis speculo ejusdem doctoris (Super Ps. V pœnit., n. 4): « Cordis simplicitas dies est quam *fraus* non obnubilat, non obtenebrat *mendacium*, non obscurat

invidia, non obfuscat *dolus*; quam *lux veritatis* illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat ? »

3° An me agnoscere possum in hac simplicitate quam describit S. Th. (2. 2., q. 109, a. 2) : Simplicitas est quæ non tendit in diversa, ut scilicet aliud intendat *interius*, et aliud prætendat *exterius* ?

II. In specie.

1° An talem me exhibeo qualis sum, non affectando probitatem, virtutem, sanctitatem qua careo ?

2° An sentio *in bonitate* de Deo et de servis ejus ?

3° An superioribus et præsertim confessario mea bona et mala manifesto, ut plane me cognoscant et certius me dirigere valeant ?

4° An omnia opera mea bona in unam simplicem *Deo placendi intentionem* colligere studeo ?

5° An assuevi omnes homines aspicere, non oculo *carneo*, non oculo mere *humano*, sed oculo *divino*, in omnibus videns id quod in eis mihi ostendit fides ? Proinde, an in *superioribus* video Dei vices gerentes et instrumenta visibilia ipsius Providentiæ ? An in *fratribus* video viros Dei, sacerdotes Dei, Filii Dei coadjutores ad opus omnium sublimissimum, scilicet ad salutem animarum ? An in *pauperibus* video amicos Dei

singulariter dilectos, quorum manus *ærarium* est Dei?

6° An quæcumque mihi eveniunt, sive læta sive tristia, considero a Deo volita vel permissa ad maximam meam utilitatem?

7° An in rebus adversis dicere soleo cum viro simplicissimo Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sit nomen Domini benedictum?*

O si simplicior essem in mente, in corde, in ore, in opere; majore utique fruerer pace, majorem gustarem lætitiam.

RECOLLECTIO IX.

CONTEMPLATIO.

De condemnatione Jesu.

1^um^ Præl. In mentem revocemus quomodo Christus, a Pilato traditus ad crucifigendum, crucem bajulaverit.

2^um^ Præl. Petamus a Patre æterno gratiam patienter cum Christo subeundi judicia humana et generose crucem bajulandi.

I^um^. PUNCTUM. — **Christus condemnatur.**

1° *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali.* (Jo. XIX, 13.)

Sistitur ergo JESUS, Filius Dei, Judex vivorum et mortuorum, ante tribunal humanum. Non detrectat judicium hominis, sed id subit *cum patientia et humilitate, non aperiens os suum.*

Constituamus et nos tribunal in mente nostra, et ibi judicio stemus, sicut Christus stetit ante tribunal propter nos, ut nos districtum *Dei* judicium possimus declinare, juxta illud Apo-

stoli : « *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* » (I Cor., XI, 31.) Ergo sincere humiliterque faciamus quotidianum *conscientiæ examen*, et serio nos ad *consuetam confessionem* præparemus, quasi ultima vitæ foret ista confessio.

Sistimur etiam aliquo modo ante tribunal Dei *tempore adversitatis ;* unde Apostolus, post verba modo allegata, subdit : *Dum judicamur autem,* scilicet pœnis temporalibus, *a Domino corripimur* (pœna enim ipsa nobis proprie est *purgatio*), *ut non cum hoc mundo damnemur* (I Cor., XI, 32) ; quasi diceret : Ideo bonum est *hic* per punitionem temporalem judicari a Deo, ut, hic correpti, non damnemur in judicio futuro.

2° « *Dicit Judæis : Ecce Rex vester !* »

An irrisorie, an serio ? His profecto verbis ostendit Judæis quam stulte urgeant JESU condemnationem, quasi diceret : Mirum est quod hunc hominem flagellatum, illusum et abjectum, dicitis usurpare sibi regnum ; talis jam est ut regnum invadere vel captare non

possit : unde erubescere debetis quod eum vobis regem fore formidatis. — Et tamen super hoc timet Pilatus ne ab eis apud Cæsarem accusetur et sua potestate privetur. Hunc Pilati timorem videntes, Judæi altius clamant : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicit eis Pilatus : «*Regem vestrum crucifigam?*» Responderunt Pontifices : «*Non habemus regem nisi Cæsarem.*» (Joan., XIX, 15.) — Igitur abnuerunt Dei regnum, et traditi sunt regno Romanorum, ait S. Chrys. (Hom. 83 in Joan.), quia quod habebant, non intellexerunt ; et quod petierunt, acceperunt. Cæsari, quem cane pejus oderunt, se subjiciunt, ne mansuetum suum regem agnoscant.

Quam sæpe forsan, o sacerdos, imitatus es Pilatum, imitatus es et Judæos ! Pilatum imitatus es, quotiescumque minus strenue vacasti muneri adimplendo, vel propter metum hominum, vel propter timorem cujusvis incommodi aut laboris. Imitatus es Judæos, quotiescumque passionibus potius quam suavi Christi jugo subjectus esse voluisti. Dic in posterum : Oderit me

Cæsar, oderint me homines; dummodo Deus me amet : neque ut creaturæ placeam, volo displicere Creatori.

3° « *Pilatus... accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus ; vos videritis.* » (Matth., XXVII, 24.)

Immo vero tu videris, Pilate, cujus est recte judicare, innocentem absolvere, malignantes et calumniantes repellere. Et quomodo innocens es, qui iisdem labiis mittis JESUM in crucem, quibus eum toties justum pronuntiasti et innocentem ? Sed, o mi JESU, *amor tuus* et *scelera mea* te absolvi non patiebantur. Scelera quidem mea clamabant : « *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* » Immo vero, benignissime Salvator, sanguis tuus sit super me et super animam meam, cujus gratia effusus est, ut per illum a suis sordibus expurgetur !

4° Tandem Pilatus timore vincitur et a tramite veritatis et justitiæ detorquetur. Ut placeat Judæis, ne Cæsari displiceat, contra conscientiam, qua Christum innocentem noverat, dat sen-

tentiam injustam, ignavam, crudelissimam de morte innocentis, et per sententiam definitivam *tradit Jesum* ut crucifigatur !

Ecce quomodo innocentissimus Agnus, ut te a judicio et lamento *justæ* et æternæ damnationis eriperet, *injusto* pro te judicio condemnari præelegit, et quæ non rapuit, pro te solvit. Sententiæ enim iniquæ Pilati acquiescit, tamquam a Patre suo prolatæ.

Sicut Dominus Jesus sustinuit pro nobis iniquam ab homine contra se ferri sententiam ; sic et nos pro Deo curare non debemus *iniqua hominum judicia.* Unde Paulus ad Corinthios scribens : « *Mihi,* inquit, *pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* » (I Cor., IV, 3.)

Dicamus igitur cum sancto quodam sacerdote : « *Jesu qui sententiam condemnationis ad mortem,* mortem autem crucis, *innocenter subire voluisti ; fac me justam mortis sententiam, sive in corpore, sive in anima non mereri, et tui amore iniqua hominum judicia non timere.* »

II PUNCTUM. — **Jesus bajulat sibi crucem.**

Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum. (Joan., XIX, 17.)

1° Cum esset JESUS vestibus suis iterum vestitus, ducunt eum foras quam citissime, ne mors ejus differretur amplius. Imposuerunt ei lignum crucis jam tot vulneribus saucio et debilitato. Quanto cum affectu, o mi JESU, crucem tuam complecteris, etsi probe sciebas te in itinere illius pondere esse deprimendum, ut de facto postea non semel accidit. Doces me utique, licet mihi munus aliquod, ab obedientia impositum, gravius et supra vires videatur, cum fiducia tamen illud amplecti.

2° Vide quomodo Christus cum nequeat ulterius progredi, sinat se a militibus rapi trahique usque ad montem Calvariæ. Ita, si tibi sensualitas tua dicat te amplius non posse, sine te trahi ab obedientia quocumque ipsa velit, etiam ad mortem usque, vim voluntati tuæ faciens.

3° Hic adimpletur celebre iliud vaticinium Isaiæ : « Et factus est *principatus super humerum ejus.* » (Is., IX, 6.) Principatus enim Christi est *crux* ejus, propter quam, secundum Apostolum, *Deus exaltavit illum*, et quæ est sicut *signum dignitatis ;* non enim aliter in nobis regnat JESUS, nisi per asperitates.

4° Cum multis auctoribus ecclesiasticis hoc grande spectaculum, nempe Filium Dei, ligno crucis onustum, properantem ad mortem ignominiosam, piis oculis contemplemur.

« Ecce, ait Ludolphus secundum S. Chrysostomum, hic completur figura *Isaac* obedientis et ad patris jussum ligna pro sua immolatione portantis. Et quomodo Isaac dimissus est, et mactatus aries, sic et hic *divina natura* manet impassibilis, sed mactata est *humanitas*, hærens cornibus inter vepres, id est inter retinacula peccatorum quibus natura humana detinebatur. » (Cf. Homilia de beato Abraham.)

« Hic, ait auctor Commentarii in Lucam (c. 15) inter opera S. Hiero-

nymi, educitur *Abel* in agrum a fratre, ut perimatur ; hic adest Joseph cum gramineo fasce somniato, et tunica talari sanguine lita ; hic adest *Moyses* cum virga et serpente suspenso in ligno : hic adest *botrus* in ligno portatus ; hic adest *Elisæus* cum ligno, ad quærendam securim, quæ in imo demersa erat, et natavit ad lignum, id est, genus humanum, quod a ligno vetito in infernum decidit, per signum autem crucis Christi et Baptismum aquæ ad paradisum natavit. »

Grande spectaculum, exclamat S. Augustinus : sed si spectet impietas, grande ludibrium ; si pietas, grande mysterium : si spectet impietas, grande ignominiæ documentum ; si pietas, grande fidei munimentum ; si spectet impietas, ridet regem pro virga regni lignum sui portare supplicii ; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum ; in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum. (Aug., Tract. 117 in Joan.)

5° *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.* (Luc., XXIII, 32.)

Ecce JESUS ductus est cum *sociis*, duobus utique latronibus, per medium urbis, ubi ejus confusio patebat singulis ad ostia et fores confluentibus ; hæc est, o JESU, tua societas ! Quantam isti tibi verecundiam faciunt ! *Latronibus* te associant; sed et deterius tibi faciunt, quia crucem portandam imponunt, quod de latronibus non legitur : unde non solum *cum iniquis reputatus est*, sed iniquorum iniquior. Indicibilis est, o Domine, tua patientia.

6° *Sequebatur autem illum multa turba.* (Luc., XXIII, 27.)

Multi igitur sequebantur JESUM ad montem Calvariæ, sed non eadem mente.

Prima turba erat *carnificum*, quæ eum premebat; secunda *Judæorum*, quæ eum irridebat; tertia *amicorum*, quæ anxie lugebat ; et insuper quarta *illorum* qui videndi causa ad spectaculum confluebant. Equidem si ibi præsens fuissem, in qua me turba vidisses, o

JESU ? Nonne forsan in turba carnificum ? Carnifex enim tuus fui quotiescumque te lethaliter offendi. Utinam nunc me videres inter amicos tuos, quorum solemne est *malle potius mori millies quam semel fœdari !*

Occurre nunc, anima mea, et vide amatorem tuum et Dominum, pro te crucem bajulantem et ad patibulum properantem, ac tua crimina suis pœnis expiantem. Cerne eum, sub onere crucis curvum incedentem et vehementer anxium, anhelantem. Compatere ei quantum potes, in tot angustiis et ludibriorum pressura posito. Certe bene faceres, si juvares Dominum tuum et diceres : Date mihi crucem Domini mei et ego eam portabo !

CONSIDERATIO.

De stupenda Christi liberalitate.

Quam merito dixit S. Paulus de JESU : *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me* (Gal., II, 20), et rursus: *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* (Ephes., V, 2.) Nam ut certissima daret suæ dilectionis argumenta, dedit nobis quidquid *habebat*, dedit quidquid *erat.*

I^um^ PUNCTUM. — Dedit Jesus quidquid habebat.

Ut *homo*, habebat JESUS sicut cæteri homines bona temporalia, tempus, actiones et merita, scientiam, honorem et famam. Ex quibus omnibus nihil prorsus sibi visus est vindicare, sed omnia in nostram utilitatem liberalissime impendit. *a*) *Dives* esse poterat; *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (Matth., VIII, 20.) Pauperrimus jacuit in præsepio, pauperrimus vixit in domo Nazarethana, pauperrimus exspiravit in cruce. *b*) Omnia *sui temporis* momenta adhibuit ad nos erudiendos, ad consolandas nostras miserias, ad peccata nostra delenda, aditer nobis quo tutius certiusque in patriam perveniremus, sternendum. *c*) Nullus homo invenitur qui *omnia sua opera* et *operum* merita aliis tradiderit. Id fecit JESUS. Quidquid enim cogitabat, quidquid corde agebat, quidquid sermone proferebat, quidquid manibus operabatur, id omne in nostros usus et in nostram commoditatem generoso animo referebat. *d*) Possidebat sane tantam *scientiam* quantam nullus alius. Hanc iterum totam diffudit in nostram eruditionem et mentium nostrarum culturam. Ecce percurrit, totis tribus annis, non sine maximis incommodis et corporis fatigatione, omnem suæ gentis regionem, ut per vias, per domos,

in templo et in synagogis, pauperibus, rudibus ægrotisque suam scientiam posset communicare, idque sine ulla laboris remuneratione, immo non raro cum irrisione et vituperatione illorum quos tam amanter erudiebat. Omnia vincebat amor! *e*) Nullus inter mortales majorem merebatur famam hominumque existimationem. Et hanc etiam pro nobis pessumdedit JESUS. Nonne dixit de eo Propheta : *Et cum iniquis reputatus est.* (Marc., XV, 28.) *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.* (Ps. XXI, 7.) Habitus est ut blasphemus, mendax, sacrilegus, hominum seductor, impius legis violator. Vidimus eum postpositum turpissimo homicidæ, et coram ingenti multitudine ab Herode indutum veste stultorum. Et hæc omnia quia dilexit me et tradidit se.

Sta aliquantulum, o sacerdos, et vide num tua liberalitas erga JESUM ipsius erga te liberalitati respondeat. Quid Domino tuo dedisti ? Te totum? An animo generoso ? An *nulli bono temporali* cor tuum apposuisti? An *gaudenter*, Deo permittente, aliquorum bonorum jacturam subiisti ? An *totum tempus*, quo uteris, ad munus tibi a Deo commissum adhibuisti ? An *tuas actiones* operationesque omnes ad Deum soles referre ? Nonne frequentius pro te, pro amoris proprii satisfactione quam pro Deo laboras? Et quomodo

de doctrina, quam tibi comparasti, assuevisti disponere? An eam libenter, atque gratis, ex mera caritate aliis communicas? Quod autem spectat *famam tuam*, an ita eam tueris atque defendis, ut libenter ejus facias jacturam, si id Deo placuerit? Uno verbo, an quidquid habes, quidquid possides ita Deo voluntarie restituisti, ut de omnibus possit, annuente te ex toto corde, pro suo beneplacito disponere?

II^um^ PUNCTUM. — **Dedit Jesus quidquid erat.**

Dominus JESUS *semetipsum* tradidit *totum*. Quot quantaque hac simplici voce comprehenduntur! JESUS *erat Homo Deus;* dedit totam suam *humanitatem*, dedit suam *Divinitatem*.

1° Ut *homo*, constabat, ut cæteri homines, anima immortali et corpore mortali. Atqui hoc suum corpus pro nobis tradidit. Quænam sunt *corporis bona?* Nonne *pulchritudo, vires, sanitas, vita?* His omnibus bonis fruebatur JESUS in summo gradu. *Speciosus forma præ filiis hominum. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna* (Ps. XLIV, 3, 5.) Atqui ita pro nobis jacturam fecit pulchritudinis suæ ut oculis Prophetæ apparuerit tamquam leprosus: *Non est species ei neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus... despectum et novissimum virorum... et quasi absconditus vultus*

ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. (Is., LIII, 2, 3.)

Vires corporis habebat eximias, testante Evangelio : *Puer autem crescebat et confortabatur.* (Luc., II 40.) Has quidem vires postea pro nobis exhausit jejuniis, vigiliis, itineribus per Judæam et Galilæam ; sed eas plenius exhausit in dolorosissima capitis coronatione spinea. Ad tantam virium defectionem devenit ut sub pondere crucis non semel ceciderit.

Valetudine gaudebat et *vigore ;* ast tortorum ictibus ita vulneratus fuit et confractus, ut merito dixerit de eo Propheta : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas ; vulnus et livor et plaga tumens.* (Is., I, 6.) Vide, o sacerdos, quomodo spinæ per vim in cerebrum usque fuerint adactæ ! Quo doloris sensu, quanto sanguinis in os, oculos, capillos et barbam effluvio ! Et hæc non nisi præludia erant eorum quæ paulo post passurus erat in cruce. Vere dilexit me et tradidit semetipsum pro me.

Anima JESU pollebat *intellectu, voluntate, memoria.* Porro sublimissimum suum *intellectum* unice fere applicare visus est *studio miseriarum nostrarum* et *remediorum* quibus eis conferre valeret medelam.

Memoriam suam unicuique nostrum impendit continue, dicente Scriptura, *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum,*

ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. (Isai., XLIX, 15, 16.) Quanta, o JESU, benignitas! Quantus amor!

Voluntatem etiam suam totam ad nos pertinere voluit, cum omnibus suis propositis, cum suis desideriis, cum suis consiliis, cum suis actibus. *Voluit* in nos effundere beneficiorum thesaurum; *voluit* laborare, orare, pati et mori pro nobis. Ut autem nostris doloribus et angustiis efficaciter posset occurrere, tradidit animam suam omni cruciatuum generi, ut videre est in iis quæ passus est in Horto.

An nos tradidimus vicissim JESU et *corpus* nostrum et *animam* nostram? Corpus quidem cum suis concupiscentiis, cum sua segnitie, cum sua pigritia; animam cum suis cogitationibus, cum suis affectibus, cum suis passionibus?

O utinam nobis contingeret pro JESU fundere sanguinem et ipsius vitæ facere jacturam! *Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, meam memoriam, meum intellectum, omnem meam voluntatem; quidquid habeo et possideo; tu mihi omnia dedisti, ea tibi restituo; omnia sunt tua; dispone de illis pro omni voluntate tua; da mihi amorem tui et gratiam; nam hæc mihi sufficit.*

2° Tradiditne etiam suam divinitatem?

Audiamus S. Paulum dicentem : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* (Phil., II, 6, 7.)

Omnia divina attributa in nostrum usum contulit misericorditer: contulit *potentiam ;* contulit *sapientiam ;* contulit *bonitatem.*

Quid ulterius tradere poterat ? Interrogo homines, interrogo angelos ; qui omnes unanimi voce respondent : Nihil ulterius nobis tradere potest Homo Deus quam quæ tradidit. Nihilominus, o JESU, amor tuus aliquid ulterius nobis tradendum esse excogitavit, *Sanctam Eucharistiam !* Noveras, o JESU, nos esse *exsules* in hac lacrymarum valle ; et das nobis *tuam præsentiam* in tabernaculo. Noveras *nos* iterum peccatis *iram Dei provocaturos ;* et das nobis *Missæ sacrificium.* Noveras nos *debiles* fore et *languidos,* et das nobis ad nos nutriendos corpus tuum et sanguinem tuum in cibum et in potum per *Sacram communionem.* O certe, cum esses *ditissimus,* plus dare non habuisti ; cum esses *potentissimus,* plus dare non potuisti ; cum esses *sapientissimus,* plus dare nescivisti. Vere *dilexisti nos et tradidisti te pro nobis.* Quis non redamet te tam mirabiliter amantem ?

EXAMEN.

Circa modestiam sacerdotalem.

« Modestia vestra nota sit omnibus hominibus » (Phil., IV, 5.)

Hanc modestiam vere sacerdotalem mirifice et adamussim descripsit S. Ignatius in aureis suis « Modestiæ regulis, » quas utile erit sacerdoti suæ perfectionis sollicito identidem considerare et juxta eas diligenter se examinare.

1ª Regula : *Caput* huc illuc leviter non moveatur, sed cum gravitate, ubi opus erit ; et si opus non sit, teneatur rectum, cum moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

2ª Regula : *Oculi* demissi, ut plurimum, teneantur ; nec immoderate eleventur, nec in hanc aut illam partem circumflectantur.

3ª Regula : Inter loquendum, cum hominibus præsertim alicujus auctoritatis, non defigatur *aspectus* in eorum vultus, sed potius sub oculos.

4ª Regula : Rugæ in *fronte*, ac multo magis in *naso* evitentur ; ut serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

5ª Regula : *Labia* sint nec nimis compressa, nec nimis diducta.

6ª Regula : Tota *facies* hilaritatem potius præ se ferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.

7ª Regula : *Vestes* sint mundæ, et cum decentia compositæ.

8ª Regula : *Manus*, si non in sustinenda veste occupentur, quietæ teneantur.

9ª Regula : *Incessus* sit moderatus, sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeret ; in ea tamen, quantum fieri potest, decori ratio habeatur.

10ª Regula : Omnes denique *gestus* ac *motus* ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant. Si *loquendum* sit, meminerint modestiæ et ædificationis, tum in verbis, tum in ratione ac modo loquendi.

O Domine, da nobis, sacerdotibus tuis, ut in omnibus nostris gestibus ac motibus nihil sit quod proximi offendat aspectum ; sed ut omnia quæ agimus status nostri deceant sanctitatem.

RECOLLECTIO X.

CONTEMPLATIO.

De via crucis.

In præcedenti recollectione contemplati sumus amabilissimum Redemptorem nostrum, cruce onustum, ad locum supplicii properantem, et cum sanctis Patribus oculos intendimus in sublime spectaculum, ut quasi de longe divinæ victimæ compateremur. Hodie volumus nos dare JESU *comites* ad montem Calvariæ; et propterea pro meditatione piis exercitantibus proponimus simplicissimum *viæ crucis* exercitium.

I. *Jesus morte damnatur.*

Pilatus, victus timore imperatoris et populi Judaici favore, condemnat Innocentem *injuste* atque *crudeliter*. Tacens, o JESU, suscipis sententiam hominis iniquam, quia in hac sententia vides sententiam Patris justissimam.

Doces me, o benignissime Salvator, flocci facere *judicia humana* et patienti animo sustinere injustam condemnationem. O libenter volo propter te latere,

nesciri, pro nihilo reputari, sub omnium pedibus conculcari!

II. *Crux imponitur Jesu.*

Solemne, o JESU, fuit momentum quo in humeros tuos laceros suscepisti crucem de manu Patris tui, crucem ignominiosam, crucem omnium hominum peccatis onustam, crucem quæ crudelem tibi afferre debebat mortem. Hanc tamen crucem ardentissimis votis expetivisti, eamque tibi oblatam ingenti amore amplexus es, et inter ejus brachia mori statuisti. Unde tibi tanta crucis æstimatio, tantus amor? Quia sciebas per eam te Patri daturum esse plus gloriæ quam omni alia ratione; quia per eam ingressurus eras gloriam tuam; quia per eam clausurus eras infernum, aperturus cœlum.

O Domine, da mihi gratiam crucem meam æstimandi, amandi, generoso animo amplectendi. Suscepi, o JESU, de manu tua crucem; portabo eam cum gratia tua, portabo eam usque ad mortem.

III. *Jesus prima vice sub cruce cadit.*

Nimium debilitatus, o JESU, sub pon-

dere crucis in terram corruis, et per hunc casum violentum subito iterum hiare cœperunt vulnera ex cruentissima flagellatione accepta... Quantus dolor! Dolorem superas surgendo, et sic me doces nunquam despondere animum, quantacumque invadente tribulatione. Ex altera parte, o JESU, casus tuus in memoriam revocat tot tristissimos casus meos in peccatum. De his nunc doleo vehementer, vellemque eos delere sanguine meo. Saltem nunc declaro coram te me paratum esse millies mori quam vel semel minimo peccato veniali fœdari.

IV. *Jesus sanctissimæ Matri occurrit.* Maria, optima et affectuosissima mater, statim atque intellexit Filium suum JESUM captum et morte condemnatum, cum Sociabus et sancto Joanne se adjungere voluit JESU, vel saltem ei valedicere. Cum præ multitudine populi ad JESUM appropinquare non valeret, per aliam viam breviorem Filio suo statuit occurrere. Videt JESUM! Quale spectaculum pro tali Matre ex parte talis Filii! O liceat mihi sensa cordis

mei unire iis quæ hac hora tristissima cor JESU et cor Mariæ sentiebant. O JESU et Maria, amores mei dulcissimi, pro vobis patiar, pro vobis moriar; totus sim vester, non amplius meus!

V. *Jesus a Simone Cyrenæo adjutus.*

Ecce humeri JESU, pondere crucis luxati, sub ascensu montis Calvariæ, fatiscunt. Frustra a militibus quæritur qui velit JESUM in portanda cruce juvare. Nullus, o JESU, extendere dignatur manum ad te aliquantisper sublevandum: tantus est apud omnes tui contemptus! O si ibi præsens fuissem et te cognovissem, sicut nunc te cognosco, sine dubio me tibi obtulissem ad ferendam crucem tuam pro te, idque lubens et gaudens fecissem, et non ut Simon Cyrenæus, tristis atque angariatus. Saltem nunc *quotidianam crucem* quam dignaris humeris meis imponere, portabo generose ex amore tui, idque quamdiu tibi placuerit.

VI. *Jesu vultus a Veronica sudario abstergitur.*

Proterens pedibus omnem respectum humanum, findit multitudinem inimi-

corum tuorum, o JESU, devota famula tua Veronica, et summa reverentia ad te accedens, sudario faciem tuam, faciem venustissimam, sed nunc sputis et sanguineo sudore fœdatam, pia manu abstergit, et per insigne miraculum dignaris imprimere sudario vultus tui effigiem. O Domine, hanc effigiem benedictam cordi meo imprime, et nulla jam vis eam ex corde meo valeat delere. O si dignareris etiam cordi meo imprimere effigiem Matris tuæ Patrisque tui putativi, quam felicem me existimarem! JESUS, Maria, Joseph, semper sint mecum et benedicti in æternum!

VII. *Jesus secunda vice sub cruce cadit.*

Iterum, o JESU, sub pondere crucis corruis, et iterum animo firmo et generoso surgis, docens me vitare omnem animi dejectionem. Sed dum video te, o JESU, labentem secunda vice, cogito de iteratis meis peccatis! Quoties, ut canis, ad vomitum visus sum redire! Sed cognoscis figmentum nostrum, et ut pater misereris filiorum tuorum. Hinc spes mea et fiducia. O per merita

tuæ sanctissimæ Passionis, concede mihi divinam artem ita me meosque filios spirituales sanandi, ut nunquam jam a nobis lethale committatur peccatum.

VIII. *Jesus mulieres plangentes consolatur.*

Ad amantes et plangentes se feminas JESUS oculos et os convertit, et maxima cum benignitate dicit eis: « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. » Ergo, o mi JESU, magis de malis servorum tuorum doles quam de tuis. Quam vere probas te nostrum esse *Patrem!* O Pater amantissime, concede, quæso, mihi ut proximum diligam sicut tu nos dilexisti ; concede ut ipsi compatiar sicut tu nobis compassus es. Utinam ardeat in corde meo ille ignis, ille zelus animarum quo flagrarunt Apostoli tui et quotquot nostris temporibus in apostolatu floruerunt!

IX. *Jesus tertia vice sub cruce cadit.*

Viribus exhaustis, in terram tertio procumbit JESUS meus, putantque omnes spectatores eum mox ubi cecidit

exspiraturum. Sed « aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem. » Colligit animi vires Jesus, ut surgere de lapsu valeat et se eo usque protrahere ubi Pater æternus Filium suum mori decrevit. Utique obediens factus es usque ad mortem, mortem autem crucis, et propterea Deus exaltavit te ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia in gloria es Dei Patris. Et de hoc gaudeo vehementer. Da mihi, obsecro te, gratiam *perseverandi* in via salutis et sanctitatis, usque ad finem.

X. *Jesus vestibus spoliatur, ac felle et aceto potatur.*

Jesus spoliatur *cum maximo dolore*, et renovantur in eo vulnera, quia vestis interior, propter sanguinem flagellationis, fortiter corpori adhærebat. Tunc corpus ejus apparuit totum cruentatum et livoribus repletum. Tunc etiam ei obtulerunt *vinum felle mixtum*, quo quidem gustato, noluit bibere, ne scilicet hoc potu minueretur *sensus* doloris. Ex altera parte statuerat Jesus bibere us-

que ad fundum calicem quem ei dederat Pater.

O mi Jesu, liceat mihi cum quodam servo tuo dicere : « Deus, qui ut Adami et generis sui nuditatem operires, tuis vestibus crudeliter denudari, atque ut gulam eorum lueres, vino myrrhato felle mixto, potari voluisti, exue nos *veterem hominem* cum actibus suis, et da nobis myrrhatum pœnitentiæ et tribulationis vinum æquo animo degustare. »

XI. *Jesus clavis cruci affigitur.*

Vide, anima mea, Deum tuum immaniter a tortoribus in crucem projectum, violenter in ea extendi, ut manus pedesque foraminibus prius factis aptarentur. Quid tu, o Jesu, in hoc situ ? Elevas in cœlum oculos, agis Deo Patri gratias, et te offers in sacrificium pro me et pro peccatis meis. Utinam patiar ego me trahi et extendi ab obedientia etiam cum proprio incommodo, accommodando me arbitrio superioris.

Audi, o anima mea, malleorum ictus, et intelliges quantum cor tenerrimum Mariæ afflixerint.

Ecce in altum crux attollitur, et impetu in foveam paratam demittitur, ita ut manus et pedes lacerentur et totum corpus horribili dolore convellatur : et hæc omnia propter me! O amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

XII. *Jesus in cruce exaltatus, moritur.*

Video te, o Jesu, suspensum cœlum inter et terram, clavis durissimis cruci affixum. Video caput tuum spinis vulneratum ; frontem cruentatam ; oculos sanguine plenos, in genis fœditatem sputorum, in labiis livorem, dolorem in toto corpore.

Ad dolores tantos accesserunt irrisiones et horribiles blasphemiæ tum populi, tum militum, tum sacerdotum exprobrantium impotentiam salvandi te ipsum, præsumptam regis dignitatem, fiduciam vanam quam in Deo ponebas, filiationem Dei inanem. Et hæc omnia, o mitissime Jesu, fers patientissime pro me, ut discam et ipse patienter perferre quidquid agatur vel dicatur adversus me.

Sed, o Jesu, non solum pateris in

corpore et in honore, verum etiam et maxime quidem in tuo corde. « Tristis est anima mea usque ad mortem ! » Et quantus mœror ex Patris derelictione ! « Deus meus, exclamas, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? » Profecto mortis acerbitates tibi assumpsisti, ut mihi relinqueres mortis jucunditates. Per merita mortis tuæ sanctæ, concede mihi et meis gratiam sancte moriendi.

XIII. *Jesus e cruce in sinu Virginis Matris deponitur.*

E cruce deposuerunt viri piissimi, Joseph ab Arimathea et Nicodemus, corpus exanime Jesu, cum summa reverentia, compassione et lacrymis, illudque excepit in sinu suo dolorosissima Mater. Olim, o Jesu, pannis involutus in sinu Matris dulce requievisti atque in eodem a Magis adorari voluisti. Nunc pro salute nostra plagatum ac dilaniatum in sinu ejusdem depositum te humiliter adoramus, suppliciter deprecantes, ut te contrito semper et puro corde in sacramento altaris percipere mereamur. Gratias ago vobis, o fideles Jesu amici, de iis quæ pro Jesu ejusque

Matre filialiter fecistis. Impetrate mihi a Patre æterno artem deponendi JESUM de cruce, quæ erecta est in corde peccatorum, seu *artem convertendi;* et artem deponendi animas justas de sua cruce, seu *artem dirigendi.*

XIV. *Jesus in sepulcro reconditur.*

Unctus et involutus sindone munda, defertur JESUS ad sepulcrum. Comitatur dolens Mater, cum cæteris mulieribus et discipulo quem diligebat Dominus. Osculis et lacrymis replet Maria frontem lividam JESU. O quantus dolor tuus, o Mater afflictissima! Vere *gladius pertransivit animam tuam.* Compatior tibi ex toto corde.

O Pater æterne, gratias tibi ago maximas, quod Filio tuo pauperrimo sepulturam gloriosam dandam curaveris. Nomine JESU, nomine Mariæ, efflagito a te ut ego et omnes mei filii spirituales tam perfecte convertamur ut, offerentes JESU corda nostra in Communione, ei jam offeramus *sepulcra nova* in quibus libenter requiescat JESUS, sepulcra munda, Deo plena, sepulcra clausa passionibus humanis, sepulcra odore vir-

tutum sacerdotalium jucunda ; et ipsum Cor JESU nobis sepulcrum sit in quo inveniamus resurrectionem et vitam abundantiorem. Amen.

EXAMEN.

Circa quædam axiomata Sanctorum.

I. *Quidquid agis præter salutis negotium, amissum puta.*

Nonne anxie quæro gloriam meam, commoda mea, existimationem hominum, famam eloquentiæ, scientiæ et doctrinæ, artis gubernandi, potius quam meam salutem ?

Nonne tempus pretiosissimum in *nugis* faciendis tero ?

II. *Si quem odisse hostem vis, teipsum oderis.*

Nonne facilius ut hostem habeo, et ut talem tracto, illum qui mihi contrarius, qui contradicit mihi frequenter, qui etiam coram aliis vitia mea, defectus meos carpit mihique eadem publice exprobrat ? Si sapiens essem, eum ut amicum et benefactorem haberem, eique me gratum exhiberem.

III. *Christus per omnia tibi assimilatus est ; cura vicissim ut te illi assimiles.*

Nonne sæpe omnino alio modo quam JESUS loquor, judico, sentio, ago, patior, laboro ?

IV. *Quid tibi in mundo quæris, cum mundo superior sis ?*

Nonne me *mundo* ostendo inferiorem, mundum timendo, id est, ut ait S. Augustinus, timendo mundi terrores, mundi amores?

V. *Omnia uti Deus vult, tu quoque velis.*

Nonne sæpe ita ago ac si voluntatem Dei ad meam trahere vellem ?

An paratus sum dicere, in omni re adversa, in omni rei cujuscumque jactura : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sit nomen Domini benedictum ? » (Job, I, 21.)

VI. *Spera semper in Deo, quia et juvare vult, quia bonus; et scit, quia sapiens; et potest, quia potens.*

An ita confido in Domino ut sim *tamquam mons Sion ?* An tanta mea est spes in Deo, ut jam nulla res, quantumcumque adversa, me perturbare valeat aut ad dejectionem animi impellere ?

VII. *Si terram diligis, terra es ; si temporalia, cum tempore transibis ; si Deum, prope dixero, Deus es.*

An non diligo plus æquo quæ terrestria sunt, recreationes... nugas... confabulationes inutiles... lusus... rerum vanarum lectionem.

VIII. *Æternitati thesauriza, non tempori.*

Thesaurizamus æternitati opera faciendo misericordiæ, tum spiritualia, tum corporalia ; pauperes miserosque eleemosynis sub-

levando; diligendo inimicos; bona reddendo pro malis; generoso animo illatas injurias condonando. An in his me exercere studeo?

IX. *Amor divinus properat ad dura, amor proprius ad dulcia et vana.*

An inter varias rationes Deum laudandi et animarum salutem procurandi, non soleo eas eligere quæ *faciliores* sunt et *jucundiores*, omissis quæ *meliores* sunt et magis amori proprio repugnantes?

X. *Communia, non communiter; non aliud, sed aliter.*

An aureum hoc principium, quo ducebatur S. Joannes Berchmans, quoque nitens brevi admirabilem assecutus est sanctitatem, meum est? An illud sequor, satagendo facere non *extraordinaria*, sed *ordinaria extraordinarie*, id est, excellenter?

RECOLLECTIO XI.

CONTEMPLATIO.

De primo verbo Domini in cruce.

Cogitanti mihi, ait Bellarminus, quid potissimum eligerem, quod et me *ad bene moriendum* disponeret, et proximis meis *ad bene vivendum* prodesset: occurrit mihi mors ipsa Domini, atque illa *postrema concio*, quam septem brevissimis, sed gravissimis sententiis constantem, ex cruce, quasi ex editissima cathedra, Redemptor mundi ad humanum genus universum habuit ; siquidem in septem verbis illis continentur omnia, de quibus idem Dominus ait : « Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. » (Luc., XVIII, 31.)

Convenit ut hæc septem verba attenta mente et pio corde perpendamus. Sunt enim *ultima verba* quæ Pater amantissimus, pro suis filiis jamjam moriturus, pronuntiare voluit. Verba pauca sunt, sed ardentia, sed utilissima,

sed efficacissima, et plane dignissima quæ a Christianis omnibus, sed præsertim a sacerdotibus in intimo cordis recipiantur et custodiantur, et examinentur, et re ipsa ac factis adimpleantur.

Ex his verbis, tria ad bonum aliorum pertinent, tria ad bonum proprium, unum est commune. *Prima cura* Domini fuit de aliis, postrema de se.

Ex primis tribus sententiis quæ ad alios pertinent, prima dirigitur ad *inimicos*, secunda ad *amicos*, postrema ad *consanguineos*. Quare hunc ordinem sequitur JESUS? Quia, ait Bellarminus, caritas primum succurrit *magis egentibus:* qui vero tunc magis egebant, *inimici* erant; et *nos* quoque, tanti Magistri *discipuli*, magis egebamus ut nos instrueret de *dilectione inimicorum*, quæ difficilior et rarior est, quam de dilectione amicorum et consanguineorum, quæ facillima est et nobiscum quodam modo nascitur et crescit, ac sæpe plus quam oportet invalescit.

Jam primum verbum perpendamus.

1° « *Jesus autem dicebat: Pater*

dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt. » (Luc., XXIII, 34.)

Consideremus immensam caritatem Christi perfecte implentis præceptum suum : « *Diligite inimicos vestros, et orate pro iis qui vos persequuntur.* » Tot tormentis cruciatus, tot conviciis et blasphemiis proscissus, non petit ignem de cœlo ut Elias, non maledicit ut Noë et Elisæus, sed orat pro inimicis. Quantum dissimilis nostris affectibus, qui vel minimo verbulo vel signo læsi, sic adversus proximum et fratrem excandescimus, ut, si aperte vindicare non possumus, occultis odiis et rancore illum diu prosequamur, quin et aculeatis verbis subinde latentem pestem prodamus. At non ita, o JESU, in posterum !

2° *Jesus* AUTEM *dicebat.*

Illud *autem* designat tempus et occasionem orandi pro inimicis, atque opponit verba verbis et operibus opera. Ac si diceret : Illi Dominum crucifigebant et vestes ejus, ipso aspiciente, inter se dividebant ; alii irridebant et infamabant quasi seductorem et mendacem.

Ille autem, cum hæc videret et audiret, et dolor atrocissimus esset ob manus et pedes recens crudelissime perforatos, reddens bona pro malis, dicebat : *Pater, dimitte illis.* Utinam sciremus et nos reddere pro malis bona!

3° *Pater.*

Patrem appellat, non Deum, non Dominum, ut facilius adducat ad misericordiam; quid enim neget Pater Filio? Quasi diceret : Ego Filius tuus, qui patior, ignosco ; ignosce et tu Pater. Mihi Filio tūo dona hanc offensionem, quamvis isti non mereantur. Memento etiam te esse quoque patrem istorum per creationem, qua eos fecisti ad imaginem et similitudinem tuam. Ostende igitur in illos paternam caritatem tuam, quoniam, etsi mali sunt, tamen *filii* sunt. O mi Jesu, quanta est mihi consolatio, scire te *nunc* quoque idem dicere Patri tuo pro me, quotiescumque mihi contigerit te crucifigere peccando, et deinceps pœnitens humiliter te rogo ut *advocatum* te constituas apud Patrem.

4° *Dimitte.*

Non exponit certum peccatum, quia

vult *omne* illis peccatum dimitti. Potest autem illud verbum, *Dimitte*, referri tum ad *pœnam*, tum ad *culpam*. Si referatur ad pœnam, ait Bellarminus, *exaudita fuit* oratio ; quia cum mererentur Judæi propter hoc scelus *statim* gravissime puniri, dilata fuit pœna hujus peccati ad annos quadraginta : et si interim gens illa pœnitentiam egisset, salva incolumisque mansisset. Quod vero ad *culpam* attinet, *exaudita fuit* oratio ; quia multis per hujus meritum data est a Deo gratia compunctionis et resipiscentiæ. Inter quos illi sunt qui *percutientes pectora sua revertebantur ;* et centurio qui dicebat : *Vere Filius Dei erat iste* (Matth., XXVII, 54) ; et plurimi, qui paulo post ad apostolorum prædicationem convertebantur, et confitebantur quem negaverant, et adorabant quem despexerant. — Unde, o mi JESU, grandem concipio spem, quandoquidem pro me et nunc oras, et pro reverentia tua exaudit te Pater.

5° *Illis.*

Non dicit, Crucifigentibus me, ne ex indignitate provocet Patris iram, et

quia volebat *omnes peccatores complecti.* Itaque per hanc vocem *illis* significantur ii quibus indulgentiam Christus oravit. Et quidem primi videntur illi esse, qui Christum re ipsa cruci affixerunt et ejus vestimenta inter se diviserunt ; deinde omnes qui causa passionis Domini fuerunt. Omnibus igitur inimicis suis veniam petiit ex cruce Dominus. Inter inimicos autem *nos omnes* eramus, dicente Apostolo : « *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* » (Rom., v, 10.) Itaque, concludit pius auctor, nos omnes, etiam antequam nati essemus, numerati sumus sacratissimo illo *Memento,* ut sic loquar, quo summus Pontifex Christus oravit in missa illa sacrosanctissima, quam in ara crucis peregit. Quid tibi retribuam, o benignissime Salvator, pro omnibus quæ mihi tribuisti, etiam antequam essem ? Vidisti me inter inimicos tuos futuros, et pro me ad Patrem orasti ut mihi non imputaretur stultitia. O certe *adhæreat lingua mea faucibus meis,* et *oblivioni detur dextera mea, si unquam tui* tuæque

misericordiæ *oblitus fuero.* Sed, o mi Jesu, volo tibi dare aliud meæ gratitudinis testimonium : scilicet, permotus tanto exemplo, non solum inimicis meis facile ignoscam et pro eis orabo, sed etiam quotquot potero ad idem faciendum adducere conabor.

6° *Non enim sciunt quid faciunt.*

Judex est omnium, et tamen hic non *judicis*, nec *accusatoris* agit partes, sed *defensoris.* Ecce loquitur in causa aliena, qui semper *tacuit* de sua. Jesus enim, teste Evangelio, falso accusatus apud Pilatum de maximis criminibus, *tacebat.* — Quam multo alia mea est ratio agendi ! Merito quidem accusatus, *loquor*, ut me defendam ; et si video alios falso accusatos, *taceo*, cum uno verbulo facile eos purgare potuissem. O non sic in posterum !

Igitur cum tanta esset Judæorum malitia et ignorantia supina et crassa, tamen illam adducit pro aliqua excusatione. Excusat quod potest, per ignorantiam ; quia vere *omnis peccator*, ignorans est, nec æstimat peccati gravitatem : « *Si cognovissent*, ait Aposto-

lus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*» (I Cor., II, 8.) Tanta igitur fuit caritas Christi, ut peccatum inimicorum suorum extenuare voluerit eo quo poterat modo.

Ex his, o mi JESU, opitulante tua gratia, duplicem volo fructum colligere, fructum *misericordiæ pro aliis*, fructum *fiduciæ pro me*. Nempe quotiescumque agetur de peccatis *proximi*, excusabo eum saltem per ignorantiam, et non jam, ut antea, prima mea interpretatio *maligna* erit, sed *benigna ;* quotiescumque autem agetur de *meis* peccatis, sperabo et non dubitabo de venia: etenim, si Dominus JESUS excusavit inimicos suos apud Patrem propter umbram ignorantiæ, quomodo me non excusabit, si me viderit vere contritum corde, humiliatum, et sincere mea peccata confitentem ? *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Amen.

CONSIDERATIO.

De vita.

I. *Quid est vita ?*

Respondet Spiritus sanctus in cap. v. libri Sap., attentos nos faciens ad vitæ *brevitatem*. Petit a natura visibili varias imagines, quarum ope facilius illam vitæ brevitatem intelligamus.

1° Vita quid est ?

Est tamquam *umbra* quæ nos fugit. *Transierunt omnia illa tamquam umbra.* — Est tamquam *nuntius percurrens.* — Est tamquam *navis*, quæ pertransit fluctuantem aquam. — Est tamquam *avis*, quæ transvolat in aere.— Est tamquam *sagitta* emissa in locum destinatum. — Est tamquam *lanugo*, quæ a vento tollitur. — Est tamquam *spuma gracilis*, quæ a procella dispergitur. — Est tamquam *fumus* qui a vento diffusus est. — Est tamquam *memoria hospitis* unius diei prætereuntis.

Poeta christianus hæc omnia gratiosa concludit imagine, dicens :

Vita quid est hominis ? Viridantis flosculus Sole oriente oriens, sole cadente cadens. [*horti :*

Ergo non diu commorabimur in terris ! Transibimus et nos ut *umbra*, ut *nuntius*, ut *navis*, ut *avis*, ut *lanugo*, ut *spuma gracilis*, ut *sagitta*, ut *fumus*, ut *flosculus*. Ergo non adhæreamus iis quæ tam cito transeunt;

et si cor nostrum incepit nugis mundi adhærescere, dicamus cum S. Aloisio : *Quid hoc ad æternitatem ?*

2° Quid est vita ?

Respondet sanctissimus Job, attentos nos faciens ad id quod in vita *grave* est atque difficile : « *Militia est vita hominis super terram.* »

Respondet S. Paulus : « *Peregrinamur a Domino* » (II Cor., v, 6) ; terra scilicet iter est labore, ærumnis et fatigatione injucundum.

Respondet Mater Ecclesia terram *esse lacrymarum* vallem, in qua exsules clamamus, ploramus, gemimus.

Respondet cor nostrum terram minime esse patriam, sed triste exsilium. Adspiro ad *divitias*, sed divitias *æternas*, et terra non mihi affert nisi *transitorias* et fallaces. Adspiro ad *gloriam*, sed ad gloriam *æternam*, et terra non mihi affert nisi mancam, caducam, vanam. Adspiro ad *voluptates æternas*, et terra non mihi affert nisi falsas et breves.

Intelligo te, o sancte David, dum clamantem te audio : « *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ?* » (Ps. LIV, 7.)

Intelligo te, o sancte Paule, dum clamantem te audio : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (Rom., VII, 24.)

Intelligo te, o sancte Ignati, dum claman-

tem te audio : « *Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio !* »

Ergo non adhæreamus *vitæ tam labili, tam miseræ,* tam ærumnis et laboribus plenæ. Recordemur verbi JESU dicentis : « *Quid prodest homini si mundum universum lucretur*, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Unusquisque nostrum dicat : « *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* » (Ps. LXXII, 28.)

II. *Quis est scopus vitæ?*

Avarus respondet : In terra positus sum ut mihi comparem quam plurimas divitias ; et postquam totam vitam consumpsit in accumulando divitias, migrat in domum æternitatis suæ, manibus vacuis. Quanta stultitia !

Voluptarius respondet : In terra positus sum ut quæram delicias voluptatesque ; et postquam totum se mersit in corporis concupiscentiis, ad sepulcrum defert corpus exhaustum, cor tristitia et tædio tabescens, animam nudam meritorum. Quanta stultitia!

Ambitiosus respondet : In terra positus sum ut nomen mihi faciam gloriosum ; ut hominum obtineam plausus ; ut æmulos omni conatu superasse conspiciar ; et postquam totam vitam in vigiliis, in sudore et labore transegit, ultimum obit diem dicens cum desperatione : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas !*

Doctus respondet : Positus sum in terra ut satisfaciam naturali meo desiderio *sciendi*, et mea scientia mihi locum faciam inter mortales ; et ecce, postquam dies noctesque in scientia quærenda cum multa fatigatione consummavit, in fine vitæ dolet amare se frustra laborasse, se frustra sudasse, non inventa veritate.

Et tu, quid dicis, o JESU ? Me fallere non potes ; habes enim *verba vitæ*. Loquere ergo, audit servus tuus. Et ecce ex ore JESU prodit hoc responsum, simplicitate et sublimitate admirabile : « *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus.* » (Matth., VI, 33.)

Ergo in terra positus sum ut comparem mihi *regnum*, regnum *Dei*, regnum *felicissimum*, regnum *æternum*.

Et *quomodo* possum hoc mihi regnum comparare ? *Deum glorificando animamque meam salvando.*

Et quomodo possum ego, pusillus et miser, *glorificare Deum* infinite gloriosum ? Deum *laudando*, Deum *reverendo*, Deo *obediendo*, Deum super omnia *amando*. Hoc nihil justius, nihil gloriosius, nihil facilius, nihil jucundius atque delectabilius, dicente Ecclesia : *Servire Deo regnare est.*

Et quid est *animam meam salvare ?*

1° Est in hac vita *animam reddere capacem æternæ felicitatis ;* et in altera *æterna felicitate frui*, plenissime et immobiliter *inhærendo*

Deo, summo Bono, Ejusque beatissimæ vitæ participatione *gaudendo*.

2° Est *vitare* omnia pericula, omnia impedimenta, et quidquid hominem retardare potest in consecutione finis sui.

3° Est ostendere pro anima saltem eamdem sollicitudinem quam pro corpore.

Non salvare animam, est 1° in hac vita animam *reddere capacem æterni damni*, et in altera vita *illud damnum æternum pati*.

2° Est non amovere pericula, impedimenta.

3° Est habere majorem sollicitudinem pro rebus pertinentibus ad *corpus* quam pro rebus pertinentibus ad *animam*.

Quantum igitur discrimen inter hæc duo, *salvare animam* et *animam non salvare !* Et tamen non est *medium* in quo consistere valeam ; aut in æternum salvabor, aut in æternum damnabor ! Et hoc pendet a mea voluntate. Nunc intelligo, o mi JESU, quare dixeris : « *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* » (Matth., XVI, 26.)

Ergo *possessio* totius mundi *nihil* proderit, si pereo ; *jactura* omnium rerum *nihil* oberit, si salutem consequar. Ergo salus æterna negotium negotiorum ! Et hoc negotium absolvi debet *dum vivo*, et vita *bre-*

vissima et *incerta !* Si hoc momento *subitanea* corriperer morte, quænam esset sors mea æterna ? O Maria, Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, obtine nobis, sacerdotibus tuis, a Filio tuo gratiam, ita negotium salutis nostræ promovendi, ut certo certius ad æternam felicitatem perveniamus. Amen.

EXAMEN.

Circa visitationem sanctissimi Sacramenti.

Dicebat olim Moyses in gloriam gentis suæ: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* (Deut., IV, 7.)

Quid, quæso, ait quidam pius asceta, dicturus esset, si pro umbra, quam ita venerabatur, rem et veritatem ipsam in Ecclesia christiana videret inter fideles assidue commorantem ? Sed quid dicere, quid cogitare debent personæ religiosæ, præ cæteris fidelibus Christum Dominum, Deum verum in habitaculis suis die et nocte, *vere, realiter*, substantialiter præsentem habentes in Sanctissimo Sacramento ? Certe non est natio alia, neque conditio tam grandis, tam honorata, tam beata, quæ habeat talem ac tantum Deum, sibi ita propinquum, sibi incessanter cohabitantem, sibi semper vacantem,

et, si dicere licet, quasi ipsi soli jugiter servientem. Et tu, o sacerdos, quid dicere, quid cogitare debes, qui hujus regiæ Domus constitutus es præpositus et custos ? O certe tuum est exclamare cum Propheta regio: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus et Deus meus !* (Ps. LXXXIII, 3, 4.)

1° An tanquam *aulicus* Regi tuo te frequenter sistis; et tamquam *famulus* Domino tuo ad nutum ades ; et tamquam piissimus *filius* ad amantissimum patrem sæpius recurris, ab ore ejus in omnibus pendens ?

2° An facis quod in te est, ut parochiani tui et ipsi frequenter adeant ecclesiam, salutaturi divinum suum Hospitem ?

3° An non citius claudi jubes ecclesiæ januam, ita ut fidelibus adimatur occasio adeundi Tabernaculum ?

4° An tu ipse visitas Sanctissimum *quotidie*, *non semel*, cum simplicitate et amore ?

5° An non videris identidem JESU visitationi præferre visitationem parentum et amicorum, et propter hanc illam omittere ?

6° An tempore tentationis, tristitiæ, tribulationis soles confugere ad JESUM, de Tabernaculo suo clamantem ut olim : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ?* (Matth., XI, 28).

7° An in singulis visitationibus eam exhibes modestiam, reverentiam et animi collectionem quam exigit majestas magni Regis ?

8° An in singulis visitationibus exerces fidem, spem, caritatem, communionem spiritualem, propositorum confirmationem, renovationem votorum ?

9° An in singulis visitationibus sancta uteris *familiaritate* et *fiducia*, alloquens JESUM, ut amicus alloquitur amicum, ut ægrotus medicum, ut reus advocatum, ut filius patrem ?

10° An quotidie, in una saltem visitatione, Cordi JESU commendas per Mariam *peccata* tua et peccata parochianorum, *ut deleantur ;* et *bona opera* tua et parochianorum, ut *purificentur et Deo evadant acceptiora; et necessitates tuas* et parochianorum, tum temporales, tum spirituales, *ut eis provideat Jesus ?*

An in eadem visitatione expetis a Corde JESU per Mariam *pro te* et *pro parochianis qualitates* quæ unicuique statui conveniunt, scilicet pro te *amorem, firmitatem, suavitatem* et *prudentiam ;* et pro aliis *reverentiam, obedientiam, fiduciam filialem ?*

11° An soles recedere cum desiderio, dicens : *Mane nobiscum, Domine ?* An soles te conjungere perpetuis adoratoribus ? An per diem in mentem revocas Tabernaculum, hac

utens oratione jaculatoria : *O salutaris Hostia, quæ cæli pandis ostium ! Bella premunt*, etc.

12° Pius sacerdos, si quando per infirmitatem aut aliud impedimentum nequeat adire templum horis consuetis, convertit se sæpius ad illud, et Christum illic præsentem adorat. Quin etiam foris et in itinere, ad obvias ecclesias conversus, idem præstat quod in templo ipso præstaret.

An hæc est tua piissima praxis ?

O Sacramentum amoris, concede mihi, ut arcto tibi amoris vinculo conglutiner ! Amen.

RECOLLECTIO XII.

CONTEMPLATIO.

De secundo verbo Domini in cruce.

1um Præl. Audiamus bonum latronem loquentem ad JESUM, et JESUM benignissime latroni respondentem.

2um Præl. Petamus a JESU gratiam ut mereamur audire aliquando felix istud : *Hodie mecum eris in paradiso.*

I. *Personæ.*

Advertamus tres fuisse in loco eodem et hora eadem crucifixos : *innocentem* unum, videlicet Christum ; alterum *pœnitentem*, latronem bonum; tertium *obstinatum in peccato*, latronem malum. Vel si magis placeat, tres fuisse uno tempore cruci affixos : Christum, semper et excellenter sanctum ; latronem priorem, semper et eximie improbum; latronem alterum, aliquando scelestum, aliquando sanctum. Ex qua re intelligere possumus *neminem* in hac vita *sine cruce* posse vivere, et frustra niti illos, qui crucem omnino fugere se posse confidant; illos vere *sapientes* esse, qui

de manu Domini crucem suam accipiant, eamque usque ad mortem, non solum patienter, sed etiam libenter, immo et gaudenter ferant.

II. *Conversio latronis.*

Felix iste latro ex *consortio crucis Christi;* et ex *luce divina* quæ ei affulgere cœperat, socium suum corripere atque ad meliorem mentem convertere satagit. Proficiens in opere bono, et luce gratiæ Dei auctus, confitetur peccata sua et Christum innocentem prædicat: *Et nos quidem,* inquit, *juste damnati sumus ad crucem, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit.* Postremo, crescente lumine gratiæ, addit: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Discamus ergo ab hoc latrone peccata aliorum cum sancto zelo humiliter castigare... nostra peccata sincere confiteri... famam aliorum tueri... confidenter amantissimo nostro Salvatori, in angustiis nostris, nos commendare.

III. *S. Spiritus gratia miranda.*

Admiranda profecto Spiritus sancti gratia, quæ in corde hujus latronis

illuxit. Apostolus Petrus negat ; latro, cruci affixus, confitetur. Discipuli euntes in Emmaus dicunt : *Nos autem sperabamus ;* hic autem confidenter loquitur dicens : *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Thomas apostolus, nisi videat Christum resurrexisse, negat se crediturum ; latro in cruce Christum cruci affixum aspiciens, Ipsum post mortem Regem futurum non dubitat.

Quis, quæso, latronem istum mysteria tam alta docuerat? *Dominum* vocat; quem nudum, vulneratum, dolentem, palam irrisum et despectum, secum pendere considerat, dicit venturum post mortem in regnum suum. Quis illum tam sublimia sacramenta docuerat? Nemo profecto nisi Spiritus veritatis, qui prævenit eum in benedictionibus dulcedinis. Veni, o sancte Spiritus, in me, et illumina mentem meam tua luce divina, sicut illuminasti mentem latronis ; et commove cor meum ad spem, ad fiduciam, ad amorem Christi, ut cor commovisti latronis.

IV. *Petitio latronis.*

Domine, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Dominum appellat ; quo titulo se famulum, vel mancipium potius esse fatetur, et Christum et Redemptorem agnoscit. Addit : *memento mei*, quod est verbum plenum fidei, spei, dilectionis, humilitatis. Non ait : *si poteris ;* quoniam credit eum omnia posse. Non dicit : *si placet tibi ;* quia de caritate ejus et pietate plane confidit. Non dicit : cupio regni consortium, quia humilitas id non ferebat. Denique nihil in particulari petit, sed tantum, *memento mei*, ac si dicere velit : Si solum dignaberis meminisse mei ; si in me oculum tuæ benignitatis declinare volueris, id mihi satis est, quia de tua potentia et sapientia certus sum, et de tua pietate et caritate omnino confido. Adjungit postremo : *cum veneris in regnum tuum*, ut ostendat se nihil fragile aut caducum petere, sed ad sola sempiterna et sublimia anhelare. Assuescamus et nos talia a Domino expetere.

V. *Regnum Christi.*

Christi regnum hoc loco, non intel-

ligitur, ait Bellarminus, potestas regia, vel dominium ; hoc enim ab initio habuit, juxta illud Psalmi II: « *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* » Et alio loco : «*Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* » (Ps. LXXI, 8.) Et Isaias dicit : «*Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus.* » (IX, 6.) Et Jeremias : « *Suscitabo David germen justum ; et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra.* » (XXIII, 5.) Non igitur de hoc regno loquitur latro, sed loquitur de *perfecta beatitudine*, per quam homo eximitur ab omni servitute et subjectione rerum creatarum, et soli subjicitur Deo, cui servire regnare est. Hoc regnum, quod attinet ad *beatitudinem animæ*, Christus habuit ab initio conceptionis suæ ; sed quantum ad *corpus*, ante Resurrectionem, non habuit de facto, sed de jure tantum.

VI. *Responsio Christi.*

« *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* »

Illud *Amen* est vox Christi solemnis, quoties serio quid affirmare volebat, ita ut S. Augustinus non timuerit dicere istam vocem esse *quasi* juramentum Christi.

Hodie. Non dicit: *in die Judicii* cum justis ad dexteram te locabo. Non ait: post aliquot annos purgatorii ad refrigerium te perducam; non, post aliquot menses vel dies te consolabor; sed *hodie*, antequam sol occumbat, mecum transibis de patibulo crucis ad delicias Paradisi. Mira liberalitas Christi, mira felicitas peccatoris!

Paradisus significat *hortum deliciarum* vel hic, juxta sententiam Bellarmini supra recitatam, *beatitudinem animæ*, quæ in visione Dei posita est. Illa enim vere paradisus deliciarum est, *non corporalis aut localis*, sed *spiritualis et cœlestis.*

VII. *Misericordia Christi.*

Miremur immensam misericordiam et liberalitatem Christi. Christus, oppressus doloribus, potuisset latronem orantem non audire; sed benignus Jesus maluit oblivisci dolorum acerbissi-

morum, quam miserum peccatorem confitentem non audire. Qui ad maledicta et exprobrationes sacerdotum et militum omnino obmutuit, idem Dominus ad clamorem pauperis pœnitentis et confitentis obmutescere non potuit. Ad maledicta obmutuit, quia *patiens* est ; ad confessionem non obmutuit, quia *benignus* est.

O mi Jesu, quam benignus, immo quam prodigus es in eos qui serio ad te convertuntur! Quid non sperare potero, si magnam vitæ partem tuo servitio consecravero ? In te igitur sperabo, et in æternum non confundar. Amen.

CONSIDERATIO.

De sale apostolico.

« *Vos estis sal terræ.* » (Matth., v, 13.)

Officium *salis* est :

1° inordinatos humores exsiccare ;
2° cibis saporem conciliare ;
3° a corruptione et fœtore liberare ;
4° custodire a putredine.

Operarius evangelicus spirituali modo has quatuor salis functiones adimplere debet *in se* et *in aliis*.

A. *Debet exsiccare humores inordinatos.*

In ordine spirituali quinam vocandi sunt humores inordinati? Respondet S. Joannes: « *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* » (I Joan., II, 16.) Aliis verbis, humor inordinatus est.

nimia inclinatio ad *divitias*,
nimia inclinatio ad *sensualia*,
nimia inclinatio ad honores.

I. Ergo, o sacerdos, tuum est animas tibi commissas præmunire contra nimiam inclinationem ad *divitias*.

1° Ostendendo quam *fallaces* sint divitiæ, quam *incertæ*, quam *instabiles ;* quomodo a Christo Domino dicantur *spinæ*, et a S. Gregorio Magno *pondus* quo anima continue ad terram deprimitur.

2° Ostendendo quam *periculosum* sit nimium amare divitias eisque inhærescere ; quomodo multi propter divitias perierint ; quomodo propter amorem pecuniæ interierit miserrime Judas.

3° Ostendendo etiam quomodo nimius pecuniæ amor impedimentum sit ad serviendum Deo fideliter, ad salvandam animam suam, et quomodo amor ille nimius sollicitos faciat homines atque infelices.

Sed, o sacerdos, vide an ista inclinatio ad divitias non deprehendatur in te.

a) Nonne in te forsan nimia est cura temporalium ?

b) Nonne nimium *lucri* desiderium ?

c) Nonne aliquid nimis exquisitum in supellectili ?

d) Nonne quædam inclinatio ad imitandos quosdam sacerdotes plus minusve *mundanos?*

e) Nonne nimia parcimonia ad dandas eleemosynas, ad adjuvanda opera caritatis ?

Amor igitur *paupertatis apostolicæ* faciat te salem sapidum, ad exsiccandum hunc primum humorem inordinatum, inclinationem scilicet ad divitias.

II. Præmunire debes, o sacerdos, animas tibi commissas contra nimiam inclinationem ad *carnem*, i. e. ad ea quæ carni blandiuntur, ut *cibus* et *potus... commoda vitæ... fuga laboris... dormitio prolixior... nimia cura servandi valetudinem et inquietudo.*

1° Ergo ostende quomodo ista creata sint ad adjuvandum hominem in prosecutione finis sui, minime ad nocendum ei. Atqui omnis *excessus* in usu illarum rerum nocet valetudini, nocet saluti.

Quam multi unice vivere videntur ventri suo, juxta vehementem locutionem divi Pauli : « *Quorum*, ait, *Deus venter est !* »

Non igitur adversariis nostris ansam demus suspicandi nos de nimia sensualitate, et proinde caveamus a consuetudine bibendi *frequentius* et *copiosius ;* caveamus ab exquisitione *esculentorum* et *cupediarum ;* caveamus a consuetudine sedendi frequenter

ad *mensas alienas*, etiam confratrum ; caveamus a *conversatione* de potu et de cibo, unde facile intelligeretur nos non exigua laborare sensualitate.

Ergo sacerdos sal sit sapidum, ad exsiccandum hunc secundum humorem inordinatum, nempe inclinationem excessivam ad sensualia, et id quidem vera, sacerdotali, apostolica mortificatione. Assuescat se mortificare in potu et in cibo, ex amore Dei, ex amore beatissimæ Virginis Mariæ, ex amore animarum. Vir vere apostolicus non raro maximos convertit peccatores vel unica parva sed voluntaria mortificatione.

III. Præmunire debes, o sacerdos, animas tibi concreditas contra tertium humorem inordinatum, scilicet contra nimiam inclinationem ad honores et vanam gloriam.

Ostende igitur quam difficile sit hos honores et hanc humanam gloriam obtinere, et obtentam retinere ; quomodo honores et gloria fons sint multarum sollicitudinum maximarumque miseriarum ; quomodo inducat hæc inclinatio ad superbiam, ad invidiam, ad tristitiam et non raro ad desperationem ; quomodo multi decepti fuerint hac diabolica suggestione : « *Ascende superius ;* » quam e contrario felix sit qui contentus vivat sua humili sorte, quantumque talem soleat Deus fovere maximisque ditare gratiis.

Iterum vide, o sacerdos, an in te non conspiciatur ista inordinata inclinatio ad laudem, ad famam, ad hominum existimationem.

An non ferre soles impatienti animo quantulamcumque humiliationem ?

An non invidere merito te posse existimas fratribus ad aliquam dignitatem evectis ?

An non avidius inhias muneribus officiisque speciosioribus ?

Esto ergo, o sacerdos, sal sapidum, ad exsiccandum hunc tertium humorem inordinatum, *vera et constanti humilitate.*

B. Secunda-salis functio est *cibis saporem conciliare.*

In ordine spirituali *cibis saporem* conciliamus, seu cibos sale condimus, efficiendo nostra industria et zelo ut quæ alioquin *aspera* et *insipida* videntur in vita christiana, reddantur *placentia, facilia, jucunda.*

Ergo, o sacerdos, sal esse debes populo tuo, efficiendo :

1° Ut libenter veniat ad ecclesiam ;

2° Ut libenter intersit cæremoniis sacris ;

3° Ut libenter audiat conciunculas tuas ;

4° Ut pueri libenter intersint catecheseos explicationi ;

5° Ut libenter veniant ad confessionale.

Atqui *a) libenter populus veniet ad ecclesiam,* si in ea omnia munda sint ; si omnia

pulcherrimo ordine composita ; si sufficiens copia statuarum et imaginum ; si aditus ad ecclesiam facilis.

b) Libenter *intererit cæremoniis sacris*, si cæremoniæ incipiant *hora statuta ;* si omnia fiant *cum decore ;* si cantus conveniens sit et suavis ; si non diutius protrahantur.

c) Libenter audiet conciunculas tuas, si *breves* sint, si *claræ*, si *practicæ*, si *cum unctione* et cum *affectu* prolatæ, si *bene præparatæ*, si *ad certum scopum directæ*.

d) Libenter intererunt pueri catecheseos explicationi, si catechista polleat auctoritate ad obtinendum ex parte puerorum ordinem et silentium ; si ipsa explicatio *plana* sit, *simplex* et *ad captum* audientium ; si simul *jucunda* sit selectu historiarum et comparationum ; si animos obtineat *attentos* frequentibus interrogatiunculis. Non nisi coacte venient parvuli, si *terreantur* continua catechistæ increpatione et impatientis animi significatione.

e) Libenter frequentabunt parochiani confessionale, si intelligant confessarium ad suum sublime munus *valde affectum ;* si vocatus *statim* accurrat ; si excipiat confessiones *ut pater*, cum multa patientia et benignitate, cum ingenti caritate ; si *neminem dure* tractet, neminemque dimittat absque aliqua consolatione, licet indispositum ; si tandem, non contentus pronuntiare

formulam absolutionis, ex corde suo depromat verbum, quantumvis breve, quo animam pœnitentis stimulet, roboret, eique viam indicet qua certius et citius properet ad perfectionem et sanctitatem.

EXAMEN.

Circa detractionem.

Detractio est alienæ famæ injusta violatio vel denigratio. Habet annexum onus famam ablatam restituendi : *Non enim remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum*, ait S. Augustinus. (Epist. 153, ad Macedon.)

1° Detractio est *diaboli barathrum, et insidiarum ejus latibulum.* (S. Chrys. homil. 3 ad popul. antioch.)

Quam triste vitium, proh dolor ! et tamen admodum commune est, et per omnia genera hominum grassatur. *Tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* (Epist. ad Celantiam, inter Op. S. Hier.) Utinam saltem absit a sacerdotibus !

Qui detrahit *tres vitas* adimit, ait S. Franciscus Salesius (Introd. ad vit. dev.) : 1° vitam animæ propriæ ; 2° vitam animæ audientis ; 3° vitam civilem seu famam illius cui detrahitur.

An sufficienter intellexeram hucusque

gravitatem hujus tristissimi mali? An satis ab illo abhorreo?

2° Detractio fit quatuor modis : vel cum *occultum bonum negatur*, vel cum *apertum diminuitur*, vel cum *occultum malum propalatur*, vel cum *apertum amplius divulgatur*. (S. Bonav. super Sap. c. 1.)

An nullo ex his modis peccavi?

3° « *Cave*, ait S. Hieronymus (Epist. ad Nepotianum), *ne aut linguam, aut aures habeas prurientes ; id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes.*

An non sum ego de numero prurientium *lingua* et *aure?*

4° « Sunt tres species detractorum : prima est mala proximorum ad diffamandum publicantium ; secunda est aures talibus libenter præbentium ; tertia est crimina de proximis falso fingentium. » (Hugo card.)

An ad nullam ex his classibus unquam visus sum pertinere?

5° Juxta theologos octo modis fit detractio ; scilicet :

Imponens, augens, manifestans, in mala ver-
[tens ;
Qui negat, aut minuit, reticet, laudat ve remisse.

a) Dicendo falsum ;

b) Dicendo partim verum, partim falsum ;

c) Detrahendo simpliciter, i. e. dicendo malum verum ;

d) Male interpretando ;

e) Negando bonum ;

f) Minuendo bonum ;

g) Tacendo ubi quis laudatur ;

h) Tenuiter laudando et cum aliqua restrictione.

An in nullo ex his punctis me reum deprehendo ?

6° Quomodo autem agendum est, ubi auditur detractio ?

a) Corripere, ubi debes et potes. (Prov., XXVII, 5 et 6.)

b) Vultum tristem vel signa displicentiæ ostendere. (Prov., XXV, 23.)

c) Abire, et sic efficaciter impedis juxta S. Hieronymum scribentem ad Nepotianum: « Nemo *invito auditori* libenter refert. »

d) Statim mutare colloquii materiam.

An hæc fuit mea agendi ratio ?

7° Ne te exagitet scrupulis diabolus, scias, o sacerdos, te non teneri ad corripiendum detractorem :

a) Si major te adsit ; *b)* si detrahens major te sit ; *c)* si res sit parva ; *d)* si dubitas an res non sit publica ; *e)* si sis scrupulosus.

Injice, Domine, frenum ori meo, ne unquam ulli mortalium detraham, nam *abominatio hominum detractor.* (Prov., XXIV, 9.)

RECOLLECTIO XIII.

CONTEMPLATIO.

De tertio verbo Domini in cruce.

1^um^ Præl. Videamus Mariam cum sancto Joanne stantem juxta crucem JESU, et audiamus JESUM dicentem matri : *Mulier, ecce filius tuus ;* et Joanni : *Ecce mater tua.*

2^um^ Præl. O Pater æterne, da nobis gratiam intelligendi quid senserit Maria in suo corde, cum JESUS in sua cruce jam moriturus ei piissime valedicebat.

I. — « *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus.* » (Joann., XIX, 25.)

Hæc verba cum simplicitate et cum filiali fiducia perpendamus singula.

Stabat intrepida Virgo, non verita contumelias et irrisiones ; et licet dolore compassionis plena et transverberata gladio, de quo sanctus Simeon prædixerat, stabat tamen, et ipsa animo Filium pro mundi salut^e^ offerebat.

Stabat *juxta crucem.* Quid ista crux aliud quam tormenta et infamia suprema ?

Stabat juxta crucem *Jesu*, quem unice diligebat ; quem non ignorabat Deum esse et hominem ; quem sciebat innocentissimum ; quem experta sibi benignissimum, amantissimum, de se optime meritum, benefactorem generosissimum, filium amabilissimum, salvatorem dulcissimum. Porro cum mensura *doloris* sit *amor*, intelligere est Matrem valde doluisse, cum Filium suum tam crudeliter vexari cernebat. Dolebat summo dolore, sed quanta fortitudine et firmitate ! « *Stantem lego*, ait S. Ambrosius (in concione de obitu Valentiniani), *flentem non lego.* »

Discamus stare in adversis erecto animo, non pusillanimes, non queruli ; nec aliunde quam a Deo exspectemus levamen.

Discamus etiam nihil creatarum rerum, immo nec spiritualia solatia, ita amare, ut, si Deus velit, si expediat pro salute aliorum, perdere nolimus.

II. — « *Cum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem.* » (Joan., XIX, 26.)

Contemplemur piissimis oculis JESUM

medium inter matrem et discipulum.

JESUS, suspensus pedibus et manibus, toto corpore vulneribus confosso, pretiosissimum suum sanguinem tanto cum amore pro nobis continue effundens, circum clamantibus et sibilantibus et caput moventibus adversariis, conjicit piissimos oculos in benedictam Matrem et in discipulum quem diligebat. Aliquo modo suorum dolorum et opprobriorum quibus saturabatur, obliviscens, unice attentus ad ea quæ mater dilectissima et discipulus fidelis propter Ipsum in cordibus suis patiebantur, consolari eos voluit verbis numero quidem paucis sed ardentissimum spirantibus amorem.

Sic, o JESU, nos doces sacerdotes tuos, in mediis doloribus et ærumnis nostris recordari necessitatum fratrum nostrorum, eosque, quantum possumus, sublevare.

Doces nos non indifferenti oculo conspicere eos quos doloribus nostris et ærumnis compatientes experimur; nunquam non gratos animos exhibere permittis, bone Magister, et quod do-

cuisti, exemplo tuo in cruce voluisti confirmare.

III. — « *Dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus.* » (Joan., XIX, 26.)

Mulierem vocat, ne, audito matris nomine, vehementius affligeretur cor Virginis, *amore* et *dolore* cum se invicem acrius certantibus.

Ecce filius tuus. Hic perpendamus *sollicitudinem* et *pietatem* Christi, qui, ut modo jam notavimus, in summis cruciatibus, Matris curam suscipit, cui ministrum prōcurat.

Perpendamus etiam qualis sit hæc mutatio : pro Jesu Joannes offertur, pro Domino servus, pro Magistro discipulus; pro Deo suggeritur homo!

Cogitemus cum ingenti consolatione, *nos* quoque hoc verbo sanctissimæ Matri commendatos, eamque filiali affectu complectamur. Utinam idem sentiamus quod sanctus Stanislaus Kostka sentiebat, qui, interrogatus an Mariam multum diligeret, sublatis oculis in cœlum, fluentibusque piis lacrymis, exclamavit :*Quid vis? Mater Dei est mater mea!*

Cur Joannes datur matri? a) Privilegio virginitatis hoc tribuit Theophylactus, dicens : *Virgo virgini virginem commendavit.* b) Quia ipse quoque ad crucem stetit. *Usque adeo bonum est*, addit hic auctor, *stare apud patientem Christum, nam in fraternitatem ejus ducit.*

Ita, o sacerdos, *castitas* et affectus erga *patientem* Christum, et imitatio virtutum Marianarum te reddant idoneum ut illa fiat et sit mater tua.

IV. — « *Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* » (Joan., XIX, 27.)

« Onus, ait Bellarminus, et jugum impositum a Domino sancto Joanni, ut Virginis Matris curam ac sollicitudinem gereret, vere fuit jugum suave et onus leve. Quis enim non libentissime cohabitaret Matri illi, quæ Verbum incarnatum in utero novem mensibus portavit, et illi totos triginta annos devotissime dulcissime que cohabitavit? Quis non invideat dilecto Domini, qui in absentia Filii Dei, præsentiam obtinuit Matris Dei? Sed nisi fallor, possumus et nos a benignitate Verbi,

nostri causa incarnati, et ex dilectione nimia nostri causa crucifixi, precibus impetrare ut dicat et nobis : *Ecce mater tua*, et Matri suæ de nobis dicat : *Ecce filius tuus.* Non est avarus gratiarum pius Dominus, dummodo ad thronum gratiæ ejus cum fide et fiducia, et non ficto corde, sed vero et sincero accedamus. Qui nos cohæredes esse voluit regni Patris sui, non dedignabitur certe nos cohæredes habere amoris Matris suæ. Quam bene nobis erit sub præsidio tantæ Matris ! »

CONSIDERATIO.

De sale apostolico (2°).

C. Tertia salis functio est *a corruptione et fœtore custodire.*

In ordine spirituali agitur de corruptione et fœtore *peccati.*

Ergo nostrum est animas fidelium ab hac corruptione, ab hoc fœtore liberare. Id quidem præstabimus excitando in eis *solidum horrorem peccati mortalis*, nec non *venialis*, immo etiam *tepiditatis*, quæ fomes est et nutrix peccati.

Sed, o sacerdos, nemo dat quod non habet. Non potes incutere aliis horrorem peccati, si hic horror non fuerit in corde

tuo. Exsistit, non dubitari potest, in eo qui singulis mensibus instituit sedulo recollectionem menstruam, sed minui potest, immo prorsus evanescere. Ut non evanescat, debet sacerdos identidem in memoriam revocare :

Quid sit peccatum mortale ;
Quid sit peccatum veniale ;
Quid sit tepeditas.

De peccato mortali sufficit cogitare serio quantam fecerit stragem angelorum hominumque ; quanto numero damnatorum impleverit infernum ; quomodo hunc universum in lacrymarum vallem converterit, in vastum cœmeterium, in locum miseriarum ; quomodo causa fuerit passionis et mortis ignominiosæ Filii Dei ; quomodo quotiescumque committitur, hanc passionem JESU et mortem renovet, eamque reddat inutilem impœnitentibus ; quomodo in singulis paginis tristissimæ peccati historiæ occurrant lugenda hæc verba : « *Quia malum et amarum est reliquisse te Dominum.* » (Jerem., II, 19.)

De *peccato veniali* sufficit cogitare quam severe illud puniverit interdum in amicis suis Deus, et quam severe puniturus sit in purgatorio. Sufficit cogitare quomodo dixerit gravissimus theologus, S Anselmus, cum omnibus sanctis, se malle per totam æternitatem supplicia damnatorum tolerare,

absque offensa Dei, quam committere vel unum peccatum veniale. Sufficit cogitare innumeros martyres vitæ fecisse jacturam et horrenda sustinuisse supplicia, quod mallent hæc pati quam uno peccato veniali fœdari.

De *tepiditate* sufficit cogitare quam tristes soleat producere effectus in anima, juxta hæc Spiritus sancti verba : « *In pigritiis humiliabitur contignatio.* » (Eccle., X, 18.) « *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter (negligenter).* » (Jerem., XLVIII, 10.) « *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* » (Apoc., III, 16.)

Sufficit in memoriam revocare hujus lepræ animarum causas esse multiplices, nempe : 1° neglectum exercitiorum spiritualium ; 2° nimiam sensuum libertatem ; 3° exquisitionem nimiam commodorum ; 4° superbiam quæ transit in spiritum criseos; 5° *nimiam* sui effusionem ad opera exteriora ; 6° cor clausum animique dejectionem.

Utinam, o Deus, ita simus *sal sapidum* ut animam nostram animasque nobis a te commissas, ab hac triplici corruptione et fœtore custodire valeamus in æternum.

D. Quarta functio salis est *custodire a putredine luxuriæ.*

Ergo debet operarius evangelicus omnes intendere nervos ut in parœcia sua, in sua

communitate, in suo collegio vigeat floreatque *spiritus puritatis.* Sed ante omnia omnem adhibeat suam industriam ut ipse hunc spiritum consequatur in summo gradu.

Consistit autem spiritus puritatis 1° in hoc ut puritas summopere *æstimetur, ametur* ardenter et sedulo *in praxim deducatur.*

Consistit 2° in hoc ut omni conatu et summa vigilantia a nobis arceantur tres præcipui puritatis nostræ *hostes* et *oppugnatores.*

Debes, o sacerdos, puritatem *æstimare* summopere:

a) Quia eam plurimi facit ipse Deus; dixit enim per suum prophetam: « *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est et apud homines.* » (Sap., IV, 1.)

b) Quia Dominus JESUS luculenter ostendit quanti faciat castitatem, siquidem pro matre voluit habere virginem, pro patre nutritio virginem, pro præcursore virginem, pro amico inter omnes carissimo virginem.

c) Quia S. Ambrosius asseruit, nullo unquam contradicente, hominem castum *angelum* esse, hominem impudicum *diabolum.* O quam beatus *sacerdos castus*, siquidem, sicut virtutibus pollet angelorum, ita angelorum affluit deliciis. O quam miser sacerdos

a cujus corde recessit castitas ; habet enim diaboli fœditatem, malitiam, crudelitatem, iisdemque ac diabolus torquetur animi suppliciis, ut exclamare cogatur : « *Quia crucior in hac flamma* » impuritatis.(Luc., XVI, 24.)

Debes, o sacerdos, puritatem *amare* ardenter ; provocat enim æstimatio amorem. Sed quid est puritatem ardenter amare? Est puritatem desiderare toto corde ; puritatem a Deo efflagitare prece humili et frequenti ; puritatem omni conatu, industria sibi *procurare*, ope præsertim generosæ mortificationis.

Debes, o sacerdos, æstimationem tuam puritatis atque amorem in praxim deducere, *a*) efficiendo ut castus sis toto homine : castus mente, castus corde, castus ore, castus corpore ; *b*) adhibendo semper et ubique triplicem puritatis custodem, videlicet, *modestiam oculorum*, *prudentiam* vere sacerdotalem in omnibus, et *fugam* periculorum in quibus vel minime tua puritas obnubilari potest. Talia pericula esse censent quotquot aliquam habent animarum experientiam, *otium*, *potum*, *mulierem*. Ergo nunquam te inoccupatum inveniat diabolus ; nunquam valeant amici imprudentes te incautum ad nimium potum impellere ; nunquam mulier, quantumcumque tibi ad opera caritatis necessaria vel utilis, gloriari queat se aliquid familiaritatis a te pro officiis præstitis obti-

nuisse, vel aliquid dempsisse de tuo thesauro sacerdotali, quæ castitas tua est.

EXAMEN.

Circa sobrietatem.

Juxta sanctum Thomam (2. 2., q. 149), sobrietas virtus est, quæ moderatur potum, non quemcumque, sed eum qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum et omne quod inebriare potest.

I. An identidem in meam memoriam et parochianorum revoco detrimenta quæ nasci solent ex defectu sobrietatis? Quæ quidem detrimenta sic describit S. Chrysostomus, in hom. 1 ad pop. antioch.: *Ebrioso quid miserabilius? Mortuus est animatus; dæmon est voluntarius. Ebrietas, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis humani opprobrium.*

II. An in mentem revoco frequenter laudem sobrietatis a S. Bonaventura concinnatam? « *Quod cum sobrietate sumitur, sapit suavius, sumitur jucundius, reficit salubrius, minus gravat stomachum, facilius digeritur, minus peccatur, et est honestius et religiosius.* » (De profectu relig., lib. II, c. 47.)

III. An invitatus ad quæcumque convivia, obfirmo animum ad cavendum ne copiosius bibam, neve videar vino delectari nimium?

IV. An inter bibendum non totus sum in examinando vini qualitatem, in exaltando vini bonitatem, in conquirendo famam periti vinorum æstimatoris?

V. An ita soleo vini vel cerevisiæ potum assumere, ut nullo modo usum mentis obtenebret vel impediat linguam?

VI. An ita in hujusmodi potu assuevi temperare, ut corpus quidem ad functiones virtutis roboret, minime tamen excitet motus impuros vel ad minus decentia confortet?

VII. An aliquando ex desiderio virtutis a potu abstineo, et ad aliquod tempus ex mortificatione sitis exstinctionem differo?

O Domine, liceat mihi cum aliquo tuo pio sacerdote hanc offerre precationem : « Concede mihi, Domine Deus meus, sobrietatem studio singulari semper colere, ebrietatemque devitare, ut damna hujus horrenda evadam, nec cum Noë confundar, cum Loth turpiter cadam, cum Holoferne interream, cum divite epulone in infernum descendam ; sed cum sanctis innumeris, sobrietatis amatoribus, mente semper bene disposita, te laudem et glorificem. Amen ! »

RECOLLECTIO XIV.

CONTEMPLATIO.

De quarto verbo Domini in cruce.

1^um^ Præl. Audiamus JESUM dicentem ad Patrem: *Eli, Eli, lamma sabacthani?* hoc est: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

2^um^ Præl. O JESU, concede nobis gratiam immensitatem dolorum tuorum intelligendi tibique sincere compatiendi.

I. *Consideremus personam clamantem.*

Quis clamat? Ille JESUS innocentissimus, qui patiebatur exterius in toto corpore, ex omni parte sensuum, et omni genere tormentorum, intus vero ex compassione suæ matris, quæ omnes Christi dolores corporales in se ipsa per materni cordis compassionem plenissime transformabat; et ex lapsu atque excæcatione discipulorum, nec non ex pretiosi sanguinis tam multiplici deperditione, considerans quod pretium suæ redemptionis in tot hominibus ingratis esset annihilandum: hoc enim,

secundum S. Bernardum, majorem dolorem ei intulit quam omnes pœnæ quas extrinsecus patiebatur.

Utique, o mi JESU, *exhaurire* voluisti calicem passionis usque ad ultimam guttam. Quam longe alia est nostra agendi ratio! Nos ex lege carnis et mundi, optamus *exiguas* pœnitentias et magnas indulgentias; *parum* laboris et *multum* consolationis; *brevem* orationem et *longam* confabulationem. Quot solatia, non tantum a Deo, o sacerdos, sed etiam a creaturis emendicas! *Magnum est et valde magnum*, ait Th. Kemp., *tam humano quam divino posse carere solatio, et pro honore Dei libenter exsilium cordis velle sustinere, et in nullo seipsum quærere.* (Imit. Chr., l. II, 9.)

II. *Consideremus naturam derelictionis.*

Derelictio Christi a Patre, ait Bellarminus, quinque modis intelligi potest, quorum unus tantum verus est. Siquidem quinque erant in Filio Dei conjunctiones. Una *naturalis* et *æterna*, personæ Patris cum persona Filii in *essentia*.

Altera *nova*, personæ Filii *cum natura humana*. Tertia unio fuit *gratiæ* et *voluntatis ;* fuit enim Christus homo plenus gratiæ et veritatis, et quæ placita erant Deo, faciebat semper. Quarta fuit unio *gloriæ ;* vidit enim anima Christi Deum ab ipsa conceptione. Quinta fuit unio *protectionis*, de qua loquitur ipse, cum ait : *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum.* (Joan., VIII, 29.)

Porro prima unio est omnino inseparabilis et perpetua, quia est unio in essentia divina, de qua dicit ipse : *Ego et Pater unum sumus.* Altera quoque unio nunquam dissoluta est, neque dissolvi potest ; quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit. Tertia unio pariter semper manet et manebit. Quarta unio disrumpi non potuerat, quia beatitudo animæ amitti non potest, cum omnium bonorum aggregationem complectatur; erat autem Christi anima secundum partem superiorem vere beata, ut probat S. Th., 3ª p., q. 46, a. 8.

Restat igitur *sola unio protectionis*, quæ ad breve tempus abrupta fuit, ut locum haberet oblatio sacrificii cruenti

pro redemptione generis humani. Poterat quidem Deus multis modis protegere Christum et impedire passionem ejus ; sed placuit Patri, placuit Verbo, placuit Spiritui sancto, ad exsequendum commune decretum, permittere ut *vis humana* in Christum ad tempus prævaleret.

Igitur *clamat Christus se desertum*, non a divinitate et unione hypostatica Verbi, non etiam a gratia et amicitia Dei ; sed eo quod Pater eum a morte jam instante non eripiebat, nec consolatione ulla tam diram passionem in carne et parte animæ inferiori mulcebat et mitigabat, sed eum doloribus et tormentis meris cruciari permittebat. Clamat ergo JESUS ut ostendat quam amara et acerba sit in cruce mors, et animæ a corpore per tantos dolores extorsio, et tam violenta partium adeo amicarum separatio, sicut in horto agonizans sudansque sanguinem oravit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.*

Uno verbo, subtraxit Deus *protectionem*, sed non solvit *unionem*.

III. *Consideremus verba: Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

1° Illa verba non sunt verba *accusantis*, vel *indignantis*, vel *conquerentis*, sed *magnitudinem passionis* jure optimo et opportunissimo tempore *declarantis*. *Vox ista*, ait S. Leo, *non querela, sed doctrina est*, erudiens nos eo usque devenisse Christi dolores, ut noluerit eos etiam interna Dei assistentia mitigare. Ita enim graviter dolebat, ac si non Dei Filius, sed inimicus esset. Et ideo penitus videbatur derelictus a Deo, nullum refrigerium vel juvamen accipiens ab eo. Derelictum ergo se clamat, quia licet multi multa propter Deum passi sint, omnibus tamen Deus *aliquid consolationis* et *refrigerii* monstrabat; *Christum* vero *totaliter* dolori subjecerat, *ut doleret quantum dolere* poterat.

2° De hoc clamore dici possunt, ait Ludolphus hæc verba S. Augustini (in Ps. LIV): « Satagentis et solliciti pro nobis in tribulatione positi, verba sunt ista. » Verba quidem *teneritudinis* et *mœroris*, verba *amaritudinis* et *doloris*. Nam qui devote consideraret ex quam

anxio gemitu, ex quam alto singultu, ex quam profundo luctu, ex quam amaro planctu, hæc vox in cruce proruperit ab ore Domini Jesu, nullus est, si pectus haberet ferreum, quin molliretur compunctione, si saxeum, quin scinderetur compassione.

3° Cum Dominus in cruce clamans dixit: *Deus meus, ut quid me dereliquisti?* non ideo dixit, quod revera nesciret cur eum Deus dereliquisset. Quid enim nesciret qui omnia novit? Sed ut nos ad *quærendum* hortaretur, et ut quærendo et inveniendo, multa nobis utilia, vel etiam necessaria disceremus. *Cur* igitur Deus Filium suum in laboribus et doloribus dereliquit? Ut appareat, ait Bellarminus, *magnitudo peccati... magnitudo gehennæ... magnitudo gratiæ divinæ... magnitudo vitæ æternæ... magnitudo caritatis Filii Dei erga Patrem suum.*

Idem censet A Lapide, addens Christum hoc dixisse ut nos *inquiramus causas* ob quas Pater eum dereliquerit.

« *Derelictus est Dominus*, ait, *ne nos derelinqueremur; derelictus est ut a pec-*

catis æternaque morte liberaremur ; derelictus est ut amorem suum erga nos ostenderet, ut justitiam misericordiamque suam nobis patefaceret, ut amorem nostrum ad se raperet, denique ut exemplum nobis patiendi exhiberet. Patet in cœlum via, sed ardua et difficilis : præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendum Dei patientis exemplum nos concitaret ; ut scilicet nos cum Paulo in quavis tribulatione fidenter et exsultanter diceremus : Quis nos separabit a caritate Christi? et mox: In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. »

IV. *Consideremus fructum ex hoc verbo colligendum.*

Per hoc verbum docemur ad Deum in necessitatibus *clamare* et in periculis *ad orationem recurrere.* Oraverat siquidem Dominus Jesus in horto, orat et in patibulo, *quia revera*, ait aliquis juxta mentem S. Augustini, *oratio est subsidium in periculo, est unguentum ægrotorum, est scutum infirmorum, est odoramentum civium supernorum.*

Dicamus igitur cum piissimo quodam

Christi amatore: Domine Jesu, qui pendens in cruce preces ad Patrem cum clamore valido et lacrymis obtulisti, da mihi in omni tribulatione et angustia mea ad te clamare, nec tu me patiaris velut derelictum a tua misericordia reprobari; sed exaudi de cœlo vocem meam, et facias cum tribulatione proventum, ut sentiens me tua misericordia salvatum, possim cantare gloriam et laudem tuam, dicens: « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. » (Ps. LXXVI, 2.)

CONSIDERATIO.

De luce apostolica.

« *Vos estis lux mundi.* » (Matth., V, 14.)

Secunda proprietas viri apostolici est eos quos a corruptione peccati liberavit, *illuminare*, *errores dissipare*, *animas movere*.

I.— Ante omnia necesse est sacerdotem, ut *lux mundi esse* queat, illuminari *luce cœlesti*. Hæc autem luce illuminabitur, 1° Si assuescat se spiritu fidei imbuere, omnia aspiciendo, non oculo carneo, sed oculo divino, id est, omnia considerando juxta lumen fidei. Si hoc oculo aspexerit superiores suos... subditos suos... suos pauperes

et ægrotos... parvulos suos et juvenes, singulariter illuminabitur, ad intelligendum *quæ* erga eos *officia* teneatur adimplere et *qua ratione* adimplere ea valeat perfecte, sancte, fructuose. Si hoc oculo aspexerit vocationem suam atque statum, suos labores, suas adversitates, tentationes et quosvis vitæ eventus, sive privatos sive publicos, sive prosperos sive adversos; singulariter illuminabitur ad intelligendum quomodo hæc omnia sibi mittantur a Deo, ad majorem suam suorumque felicitatem, quomodo proinde fortis stare debeat in adversis, fortis aggredi ardua ac difficilia, fortis superare virili voluntate quæcumque piis suis conatibus obstare videbuntur, paratus operum suorum exitum accipere animo æquo, sive lætus ille fuerit, sive tristis, credens firmiter cum sancto Paulo *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.*

2° Hac luce illuminabitur cœlesti, si assuescat se imbuere spiritu JESU, qui est, ut vidimus, spiritus *contradictionis*, contradicens spiritui mundi per omnia, et simul spiritus *humilitatis*, spiritus *obedientiæ*, spiritus *paupertatis*, spiritus *pietatis*, spiritus *caritatis*. Hoc autem spiritu JESU se imbuet sacerdos, sedulo contemplando vitæ JESU mysteria, spiritum JESU quotidie in actione gratiarum post missam humiliter efflagitando, in hoc spiritu se sincere per usum

omnium virtutum exercendo, ad imitandum Christum Dominum per omnia.

3° Hac luce cœlesti illuminabitur, si sedulo incumbat studio theologiæ dogmaticæ, theologiæ moralis, theologiæ asceticæ atque pastoralis; nec non studio historiæ ecclesiasticæ et super omnia studio sacræ Scripturæ. Incredibile est qua diligentia atque industria soleat diabolus inducere sacerdotes ad omittendum, sub quovis prætextu, hoc studium rerum vere sacerdotalium, non ignorans quantos possit sacerdos fructus ex hoc studio percipere pro se et pro ovibus suis. Caveat igitur pius sacerdos a *frequentiori studii omissione.*

II. — Lucem, qua ipse lucet sacerdos, communicabit mundo ea ratione quam indicavit Dominus JESUS, cum ait: « *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* (Matth., v, 16.) Expositi sumus oculis omnium, et amicorum et inimicorum. Quoad inimicos, *caveamus!* Observant nos ut deprehendere nos possint delinquentes. Quoad amicos, eis oportet nos *præire exemplo.* Exemplum autem datum de alto valde efficax est ad bonum, non minus quam ad malum. Oblivisci non potest sacerdos quod dixit bonus Magister de *scandalo* quod quis daret parvulo, nempe talem mereri ut demergatur in profundum maris.

Sit igitur sacerdos *lux ubique*... in ecclesia... in sacristia... in confessionali... in cathedra... ad altare... in plateis... ad mensam laicorum... in via ferrea.

Sit *lux* per *omnia*, sua gravitate et modestia... sua pietate... sua caritate... suo amore laboris et ordinis... sua paupertate et abnegatione... sua temperantia et mortificatione... sua cum fratribus unione.

Ergo, o sacerdos, bene tibi persuasum sit te, in virtutum et perfectionis fastigio positum, cæteris esse, non tantum *prædicatorem*, sed etiam *normam* et *exemplar vivendi*, ut videant omnes opera tua bona et glorificent Patrem cœlestem. Vide quam periculosum sit hac altera proprietate apostolica carere.

EXAMEN.

Circa taciturnitatem.

Juxta S. Albertum Magnum *taciturnitas* est virtus immodicum loquendi appetitum refrenans ita ut non tantum ab *illicitis*, sed a *licitis* etiam verbis abstineat.

I. An vel semel serio consideravi necessitatem, utilitatem, jucunditatem silentii?

1° *Necessitas.* An mihi sufficienter constat silentium mihi necessarium esse, si velim plurima peccata evitare, cum scriptum sit:

« *In multiloquio non deerit peccatum ?* » (Prov., X, 19.)

2° *Utilitas.* An bene intellexi silentium procurare quietem, temporis jacturam arcere, augere devotionem, virtutis studium promovere, disciplinam domesticam conservare, et ad artem congrue loquendi adducere, juxta verbum S. Laurentii Justiniani : *Disce prius tacere quam loqui?*

3° *Jucunditas.* An mihi persuasum est jucunditatem silentii elucere ex hoc quod singulariter adjuvat sacerdotem ad orandum, ad meditandum, ad contemplandum, ad agendum familiariter cum Deo, ad inveniendum gustum et consolationem spiritualem ?

II. An solidos adhibeo conatus ad me exercendum in virtute taciturnitatis ?

1° An nihil *illicitum*, nihil *minus decens*, nihil *proximo nocivum* aut Deo *displicens* ore profero ?

2° An nihil *inutile* aut *otiosum* loquor?

3° An nihil dico ad *ostentationem ?*

4° An sequor monitum S. Jacobi (I, 19) : « *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum ?* »

5° An non soleo respondere, priusquam alter sermonem absolverit et perfecte audiverim, juxta monitum S. Spiritus : « Priusquam audias, ne respondeas verbum. » (Eccli., XI, 8.)

6° An in ipso colloquio *brevem* potius

quam *longum* sermonem amo, ut suadet idem Spiritus S. : « *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum.* » (Eccli., VII, 15.)

7° An vito contendere et rixari cum altero ?

8° An, quod caput est, scio, injuria accepta, *silere*, cum *læsum silere*, *summa sit fortitudinis ?*

« Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non delinquam in lingua mea. » (Psalmus CXL, 3 et XXXVIII, 2.)

RECOLLECTIO XV.

CONTEMPLATIO.

De quinto verbo Domini in cruce.

1^um^ Præl. Vivide recogitemus quomodo in cruce sitiverit JESUS, et qua crudelitate milites Eum potaverint aceto.

2^um^ Præl. Petamus a Patre æterno gratiam patienter sustinendi sitim corporalem et excitandi in nobis sitim spiritualem rerum æternarum.

Ut intelligamus *quintum* verbum Domini, *Sitio*, necesse est addere Evangelistæ verba tum præcedentia tum sequentia. Igitur sic loquitur S. Joannes : « *Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit : Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* »

Quorum verborum hic sensus est juxta Bellarminum : Dominus noster adimplere voluit omnia quæ de vita et morte ejus Prophetæ, Spiritu sancto

pleni, prænoverant et prædixerant ; et quoniam omnibus aliis adimpletis, adhuc unum restabat, ut acetum in siti sua gustaret, juxta illud Psalmi sexagesimi octavi, *In siti mea potaverunt me aceto*, dixit clara voce : Sitio ; et qui adstabant obtulerunt ori ejus spongiam aceto plenam et calamo impositam.

Tria hic nobis se offerunt consideranda :

1° Sitis Jesu corporalis ;
2° Sitis Jesu spiritualis ;
3° Crudelitas militum.

I^um^ Punctum. — **Sitis Jesu corporalis.**

1° *Sitiebat Jesus siti naturali.*

Vere Dominus siti gravissima laboravit a principio crucifixionis ; quæ crevit semper magis ac magis, ita ut unum fuerit ex majoribus tormentis quæ Dominus in cruce pertulit. Siquidem emissio magnæ copiæ sanguinis, carnes exsiccat et sitim provocat. Christus igitur, qui nec ederat nec biberat quidquam a cœna pridiana ; qui post longam defatigationem multum sanguinis in flagellatione fuderat, et postea

crucifixus quatuor quasi fontes in corpore suo patentes gerebat, ex quibus ingens sanguinis copia continue scaturiebat, quomodo fieri posset ut non *siti ardentissima* cruciaretur? Dixit ergo JESUS: *Sitio*, id est, deficit jam in carne mea omnis humor, aruerunt venæ, aruit lingua, aruit palatum, aruerunt fauces, aruerunt interiora omnia. Quis, quæso, hujus sitis, qua torquebatur JESUS, *acerbitatem* verbis valeat explicare?

O mi JESU, si mihi contigisset tibi tam acri siti laboranti adesse, sine dubio ad te sublevandum potum offerre festinassem. Sed quid dico? Ecce adstabat tibi Mater amantissima, nec ipsi quidem licuit vel guttulam aquæ frigidæ ori tuo offerre. Et hoc fuit, o Maria, durissimum tormentum tuum et novi generis martyrium! Mater quantumvis pauper, assidens filio suo morienti, aliquid accipit consolationis quod ei licet identidem aqua temperare arentia sui filii labia; hac consolatione caruisti, o dolorosissima Mater! O JESU, o Maria, quot et quanta pro me sustinuistis mala! Et ego vix aliquid pro vobis pati

volui ! O amores mei dulcissimi, pro vobis patiar, pro vobis moriar, totus sim vester, nihil jam meus.

2° Consideremus quomodo longum hunc cruciatum per tres horas JESUS silentio presserit et quomodo potuisset etiam premere silentio usque ad mortem, jamjam instantem. *Cur* igitur tanto tempore silentio texit cruciatum tam immanem, et jamjam moriturus illum manifestans dixit: *Sitio !* Quia *voluntas Dei* erat ut nos omnes *novum hoc tormentorum genus* Christo non defuisse sciremus. Et ideo idem Pater cœlestis a Propheta prædici voluit in persona Christi, et ipsi Domino JESU CHRISTO inspiravit, ut ad *exemplum patientiæ* fidelibus suis notum faceret hunc novum et acerbissimum cruciatum.

II^um^ PUNCTUM. — Sitis Jesu spiritualis.

S. Augustinus in explicatione Psalmi sexagesimi octavi exponens verbum *Sitio*, dicit eo verbo significatum fuisse non solum desiderium potus corporalis, sed etiam desiderium, quo Christus flagrabat, *fidei et salutis inimicorum.* Et

quis dubitare possit quin Christus sitierit *gloriam Patris* et *salutem animarum ?* Hoc enim clamant omnia opera ejus, hoc omnia miracula ejus ! Unde Ludolphus : « *Sitio*, ait Christus, non *doleo*. O Domine, quid sitis ? Fidem vestram, salutem vestram, gaudium vestrum. » Et iterum : « O bone JESU, coronam spineam sustines, de tua cruce, de vulneribus tuis taces, et pro sola siti clamas, dicens : *Sitio !* Quid ergo sitis ? Certe solam redemptionem hominis et gaudium humanæ salutis. »

Apposite exclamat pius quidam Christi servus : « Videor mihi videre Dominum in cruce, tamquam in sublimi specula, respicientem orbem terrarum plenum hominibus *sitientibus* et *languentibus præ siti ;* et occasione sitis suæ corporalis, eumdem Dominum miseratum communem illam sitim generis humani, clamavisse : *Sitio*, hoc est, vere quidem sitio propter exhaustum jam atque exsiccatum humorem corporis mei ; sed hæc sitis in momento finietur : magis autem sitio ut homines incipiant ex fide cognoscere *me esse verum fon-*

tem aquæ vivæ, et veniant ad me et bibant, et deinceps non sitiant in æternum. O nos beatos, si concionem istam Verbi incarnati ardentissimo corde audiremus ! »

Hinc docemur et nos salutem nostram desiderare et æternam vitam appetere. Certe hoc nobis est maxime necessarium, ut *salutem propriam* ita vere et ex animo sitiamus, ut sitis illa *cogat nos* omnia pro viribus *cogitare*, et *loqui* et *agere* quæ ad salutem nostram consequendam expediunt. Proh dolor ! solemus, ipsi nos sacerdotes, bona temporalia tam ardenter sitire, quasi essent bona sempiterna, et salutem vere sempiternam tam negligenter quærere, nec solum non sitire, sed tam leviter eam desiderare, quasi res ista esset momentanea et levis. Scimus bona temporalia non esse pura bona, sed admixta malis plurimis ; et tamen sollicite et anxie appetuntur. Scimus salutem æternam nullum malum habere admixtum, et tamen sic negligenter, sic leviter appetitur, ac si nihil solidi contineret. O Domine, fac ut cum

sancto Davide, sincero corde queam exclamare : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?*

III^um^ PUNCTUM. — **Crudelitas militum.**

« Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. » (Joan., XIX, 29.)

Id fecerunt crudeles *ad illusionem*, quia, ut ait S. Lucas, *illudebant autem ei et milites, accedentes et acetum offerentes ei.* — Id fecerunt *ad tormentum*, ut in siti, non dulci et suavi, sed acri et acetoso potu eum cruciarent. Certe S. Cyrillus ad hunc locum ita scribit : *Pro juvante et jucundo potu, nocentem et acerbum obtulerunt.* (S. Cyrillus Alex., libro XII in Joan.)

Ergo, o mi JESU, a principio usque ad finem tota tua passio mera fuit et vera passio, nulla consolatione admixta! Quam merito dixisti per Prophetam : *Sustinui qui simul contristaretur, et*

non fuit, et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. (Ps. LXVIII, 21 et 22.) Porro quænam erat *causa tristitiæ tuæ* in qua simul contristantes non invenisti? Nonne *perditio animarum* pro quibus patiebaris? Et quæ erat *causa consolationis*, in qua consolantem non invenisti? Nonne *salus animarum*, quam sitiebas! Profecto, o Domine, hanc unam consolationem quærebas, hanc optabas, hanc esuriebas, hanc sitiebas : sed datum tibi est *fel* in escam et *acetum* in potum!

Potes tu, o sacerdos, Christum in cruce esurientem et sitientem, indeque valde contristatum et dolentem, consolari atque reficere : 1° te ipsum ei offerendo *vere pœnitentem* et *peccata* propria detestantem ; 2° concipiendo in corde cum Christo *magnam tristitiam* quod tanta animorum multitudo quotidie pereat, cum possent omnes homines salvari, si redemptionis pretio uti vellent ; 3° subditos tuos, vel potius filios tuos *efficiendo pios* et per Christi vestigia *ad vitam æternam ducendo.*

Compatiamur igitur Christo, et cum illo tristemur simulque ejus dolores consolemur, vigilando super gregem nostrum, non deserendo oviculas nostras, verbo eas dirigendo exemploque præcedendo. Simul etiam a Christo discamus non posse nos vitam æternam consequi, nisi prius vitæ præsentis amaritudines gustaverimus.

« *Dulcia non meruit qui non gustavit amara.* »

CONSIDERATIO.

De templo spirituali.

Quando Spiritus sanctus adhibet in sacra Scriptura aliquam *imaginem* seu *comparationem*, signum est sub hac imagine *latere* quasdam veritates quas inde eruere nos oporteat. Quapropter utilissima est illa meditatio vel consideratio, quæ intendit invenire relationes similitudinis, quæ exstant inter objectum sensibile quod oculis nostris a S. Spiritu exhibetur et veritates quæ in ipso latent. Jam vero S. Paulus non raro comparationem adhibet templi spiritualis cum templo materiali. « *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?* (I Cor., III, 16.) Et : *Vos enim estis*

templum Dei vivi. (II Cor., VI, 16.) Et: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu ; in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*» (Ephes., II, 20-22.)

Quæramus igitur quasdam rationes similitudinis, quæ sunt templum *materiale* inter et templum *spirituale.* Porro in hac pia disquisitione, ad exemplum sanctorum Patrum, non timeamus descendere etiam ad minima, dummodo nobis prodesse possint ad illuminandam mentem et inflammandam voluntatem.

I. *Fundamentum.* In omni structura maxima est cura fundamenti. Quo enim majus esse debet templum, eo solidius requiritur fundamentum. — Templi spiritualis fundamentum quatuor constat lapidibus angularibus, quæ totidem sunt vitæ sacerdotalis principia maximi momenti, nempe :

1° Deus semper pro *fine* (Dieu toujours en vue) ;

2° J.-C. semper pro *exemplo* (JESUS-CHRIST toujours en modèle) ;

3° Maria semper pro *auxilio* (Marie toujours en aide) ;

4° Ego semper pro *victima* (Moi toujours en sacrifice).

II. *Murus.* Functio murorum est prohi-

bere accessum ad sanctuarium, ut in eo omnia pacifice peragi valeant. — In ordine autem spirituali sanctuarium est *cor nostrum;* hoc sanctuarium triplex murus circumdare debet, scilicet observatio mandatorum Dei, observatio præceptorum Ecclesiæ, fidelis votorum adimpletio.

III. *Anterides.* Hæ destinantur ad sustinendum murum et ad dandum templo exterius decorem et pulchritudinem. — Anterides nostræ sunt regulæ quædam et statuta diœcesana, quæ si observentur accurate, sine dubio observabuntur mandata Dei et præcepta Ecclesiæ et inviolata manebunt vota. Hinc etiam vita sacerdotalis honorabilior oculis fidelium apparebit.

IV. *Janua.* Officium januæ est ut *clausa* arceat *canes* et quotquot divina officia possent perturbare. — Sacerdotis modestia mentem ipsius et cor ab inopportunis cogitationibus animique motibus facile liberabit.

V. *Fenestræ* Fenestrarum est lumen de cœlo in templum advocare, et ejecto aere corrupto, vivificum introducere.— Fenestras spirituales merito quis vocaverit exercitia spiritualia sacerdotis, quorum ope intellectus certo illuminabitur et cordis impedimenta arcebuntur.

VI. *Tectum.* Muro imponitur tectum, ut hi qui in templo versantur, minime tempestatis molestiis perturbentur. — Pro templo

spirituali non melius, non solidius excogitari potest tectum quam *immensa et constans in Deo fiducia*. « *Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.* » (Ps. XX, 8.)

VII. *Signum crucis.* Nullum est templum catholicum in quo non superemineat signum redemptionis. — Sic sacerdos qui dignum exstruere volet Deo templum, eminere debet sua *erga crucem* pietate. Ut JESUS, crucem maximi æstimet, crucem amet, crucem ardentissimo affectu amplectatur.

VIII. *Turris.* Hæc ad cœlum se attollit atque vertice nubes velle penetrare videtur. Dicunt archæologi templorum *turrim* significare mentium et animorum ascensum ad cœlum, et sic esse aliquo modo materialem expressionem verborum quæ Ecclesia vult esse in labiis sacerdotis dum celebrat missam, *Sursum corda!* — In nostro igitur templo spirituali turris est *excelsitas cogitationum nostrarum et affectuum ;* est illa exclamatio cujusdam servi Dei ad fratres : « *Eia, fratres, non degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei !* » Nempe est :

1° Habitare in cœlestibus cum Christo ;

2° Lætari de his de quibus lætatur Christus;

3° Tristari de his quæ Christo displicent ;

4° Libenter se cum Christo *exinanire* profundissima humilitate. « *Qui se humiliat, exaltabitur.* »

Aliis verbis est : 1° *rejicere fortiter* ea omnia quæ spiritui JESU contraria sunt; 2° *contemnere fortiter* ea omnia quæ spiritui JESU conformia non sunt ; 3° *amplecti totis viribus* quæ spiritui JESU conformia scimus esse.

Est summatim has habere animi dispositiones, ut quæ mundo sunt *amara*, nobis sint *dulcia ;* et quæ mundo sunt *dulcia*, nobis sint *amara.*

IX. *Gallus.* Hic continuo se vertit quo flat ventus, et adhuc edere videtur cantum illum, quem audiens S. Petrus, ut fertur, amare lacrymabatur. — Hic gallus non desit in turri nostra spirituali. Est autem jucundissima Deoque gratissima continua *conformitas* voluntatis nostræ cum divina voluntate ; vel est *zelus noster*, quo inflammati, quocumque nos vocat necessitas animarum, eo sine cunctatione nos conferamus.

X. *Campanæ.* Harum ope vocantur fideles ad officia sacra, proclamantur gaudia Ecclesiæ Matris, et nuntiatur non raro pompa funebris. Sunt veluti totidem voces quæ de cœlo labuntur, angelorum officio fungentes. — In nostra structura, *tintinnabula* nostra sunt mores nostri, actiones nostræ, nostri sermones, tota nostra agendi ratio. « *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* » Tota facies *hilaritatem* potius præ se ferat quam tristitiam,

ut omnes intelligant *quam felices* simus in nostra sancta vocatione, et *quam suave sit jugum Domini et quam leve onus.* In diebus autem *luctus*, quando scilicet aliquam persecutionem patitur Ecclesia, cum illa *lugeamus*, et videant nos non esse indifferentes erga dolores Matris nostræ.

« *Præbete igitur corda vestra et animas vestras ut quæratis Dominum Deum vestrum: et consurgite et ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini et vasa Domino consecrata in domum, quæ ædificatur nomini Domini.* » (I Paralip., XXII, 19.)

N. B. Qui voluerit, pro examine præsentis recollectionis, se examinare *circa modum* quo ad exstruendum Deo templum hucusque laboravit, haud dubie inveniet copiam non exiguam *doloris* et *emendationis* (1).

1. Dum hanc novam editionem « Sacerdotis » nostri parabamus (mense Augusto 1907), edidimus secundum tomum alterius operis cui titulus : « Templum Spirituale sacerdotis ». In hoc opere, cujus primus tomus in lucem prodierat Maio mense 1902, enucleatius exposuimus quæ hic de *templo spirituali* summatim tantummodo indicare licet.

RECOLLECTIO XVI.

CONTEMPLATIO.

De sexto verbo Domini in cruce.

1um Præl. Oculis piissimis conspiciamus Dominum JESUM, aceto accepto, jamjam morti proximum, audiamusque eum dicentem, firma voce : *Consummatum est.*

2um Præl. Petamus a Patre æterno *lumen* ad intelligendum hoc sextum Filii sui verbum, et *robur ut consummemus* et ipsi opus quod Deus peragendum nobis commisit.

Cum sancti Patres et Ecclesiæ doctores, non sine ratione et fructu, hoc sextum JESU verbum ad *plura mysteria* applicuerint, nos idem præstabimus.

Ium PUNCTUM.

Consummatum est. Sensus hujus verbi *litteralis* sic exponitur a Bellarmino. « Verbum sextum a Domino in cruce prolatum, refertur a sancto Joanne, ut pene conjunctum cum quinto. Statim

atque Dominus dixerat: *Sitio*, et acetum sibi oblatum biberat, addidit sanctus Joannes: *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est.* Et quidem ad litteram nihil est aliud, *consummatum est*, nisi, consummatum ac perfectum est *opus passionis.* Siquidem *opera duo* injunxerat Pater Filio: unum prædicandi Evangelium; alterum patiendi pro genere humano. De priore opere dixit Dominus: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Manifestavi nomen tuum hominibus.* (Joan., XVII, 4 et 6.) Hæc dixit Dominus post ultimam concionem habitam ad discipulos post cœnam. Proinde *tunc* consummavit *primum opus* quod ei Pater injunxerat. *Alterum opus* erat bibendi calicem passionis, de quo Dominus ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* (Matth., XX, 22.) Et alibi: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me.* (Luc., XXII, 42.) Et alibi: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (Joan., XVIII, 11.) De hoc igitur Dominus, morti proximus, ait: *Consummatum est;* calicem exhausi totum usque ad

fæces ; nihil jam superest, nisi ut abeam ex vita : *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* (Joan., XIX, 30.)

Ex his conclude, o Sacerdos, necessarium tibi esse opus pro gloria Dei et pro salute animarum susceptum, *consummare*, Modica enim laus est *incepisse*, maxima *perfecisse*. Non qui cœpit, sed qui perfecit, præmium capit. « *Non est præmium in inchoatione, sed in consummatione*, ut ait aliquis apud Ludolphum. *Non datur denarius incipientibus, sed finientibus, et corona non currentibus, sed pervenientibus.* » — Quam multa tu ordiris? Quam pauca ad finem deducis ? Imitare Salvatoris tui *constantiam*, ut et tu dicere possis hora suprema : Consummatum est quod Deus jussit per præcepta, quod suscepi per consilia, quod præscripserunt regulæ et superiorum statuta, quod monuit gratia. Quam felix tunc eris ! Sed quam longe nunc abes !

IIum PUNCTUM.

Consummatum est. S. Augustinus in commentario hujus verbi, refert illud

ad *impletionem Prophetiarum*, quæ de Ipso erant. *Sciens* enim *Jesus*, inquit evangelista, *quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio;* et paulo post, accepto aceto, *dixit: Consummatum est*, id est, adimpletum quod supererat adimplendum. Ex quo intelligere licet, JESUM voluisse dicere consummata et adimpleta esse quæ de ipsius *vita* et *morte* prædicta essent a Prophetis. Vere enim singula prædicta fuerant. Conceptio: *Ecce Virgo concipiet.* (Is., VII, 14.) Nativitas in Bethleem: *Et tu, Bethleem Ephrata* etc., *ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel.* (Mich., V, 2.) Apparitio novæ stellæ: *Orietur stella ex Jacob* (Num., XXIV, 17.) Adoratio regum: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent.* (Ps. LXXI, 10.) Prædicatio Evangelii: *Spiritus Domini super me... ad annuntiandum mansuetis misit me.* (Is., LXI, 1.) Miracula: *Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum.* (Is.,

xxxv, 4, 5, 6.) Sessio super asinam et pullum ejus : *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.* (Zach., IX, 9.) Denique passio tota per partes descripta est a Davide in Psalmis et ab Isaia, Jeremia, Zacharia, et aliis. Atque hoc est quod ipse Dominus iturus ad passionem dicebat : « *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* » (Luc., XVIII, 31.)

Bono sacerdoti, hæc attenta mente consideranti, ingens erit consolatio, si reputaverit, quemadmodum *ex ipso eventu rerum* cognitum habemus vera fuisse quæ Prophetæ sancti tanto antea prædixerunt, ita nos certos esse debere omnia quæ iidem Prophetæ futura prædixerunt, quamvis adhuc impleta non sint, aliquando impletum iri. Sicut usque ad hodiernam diem, ut notat sæpe S. Augustinus, omnia evenerunt, sic et quæ restant eventura sunt. Timeamus diem judicii; venturus est Dominus; qui venit humilis, veniet excelsus. Utinam

non essent plurimi inter christianos, immo et inter sacerdotes, qui futurum Dei judicium, et alia id genus, dicant se credere, factis autem negent! Utique terribilia quædam prædicta sunt, sed et prædicta sunt alia, consolationis plena, ex quibus pius sacerdos sumere solet animos atque vires.

III^um^ PUNCTUM.

Consummatum est. Ex sententia S. Joannis Chrysostomi, hoc verbum significat in morte Christi consummatam fuisse *potestatem* quæ permissa erat hominibus et dæmonibus in Christum, de qua potestate Christus ipse dixit ad Principes Sacerdotum, ad magistratus et ad seniores: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* (Luc., XXII, 53.) Hæc igitur hora et hoc tempus totum, quo, Deo permittente, potestatem habuerunt impii in Christum, finitum est, cum Dominus dixit: *Consummatum est;* tunc enim finem accepit peregrinatio Filii Dei inter homines; et simul cum peregrinatione vitæ mortalis conditio, secundum quam esuriebat, sitiebat,

dormiebat, fatigabatur, injuriis et flagellis, vulneribus et morti obnoxius erat. Consummata igitur *mortalitas* humanitatis ejus, et potestas omnium inimicorum ejus in Ipsum.

Transierunt ergo, o JESU, omnes labores, omnes dolores, omnes pœnæ quas te Pater æternus pro salute nostra pati voluerat. *Consummatum est!* Dulce verbum, eoque dulcius quo tristiora et acerbiora præcesserant.

Id tibi, o bone sacerdos, in tuis afflictionibus solatio sit, quod aliquando dicere poteris: *Consummatum est!* Exspecta igitur viriliter, sustine et confortare. Transibit tua tribulatio; transibunt quos pateris adversarios; transibunt calumniatores; transibunt qui te omni modo, in ministerio, vexare non desinunt. Quanta tunc voluptate cum divo Paulo exclamabis: Vere *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia*

sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt. (II Cor., IV, 17 et 18.)

IV^um^ PUNCTUM.

Consummatus erat *finis* ad quem missus erat a Patre æterno. Satisfecerat pro peccatis nostris ; caput serpentis attriverat ; destruxerat mortem ; spoliaverat infernum ; cœlum reserarat ; novam legem condiderat ; auxerat nos novis sacramentis et sacrificio ; vitæ perfectæ normam tradiderat, suoque exemplo formaverat.

Per hoc igitur verbum sextum Domini, doceris, o sacerdos, pœnitentiam inchoatam consummare, et vitam tuam fine debito terminare, ac omni opera tua ad virtutum perfectionem et debitam perducere consummationem. Dic ergo cum aliquo magno Dei servo : « JESU, Salvator noster et consummator gloriosi operis quod accepisti a Patre consummandum, qui incepisti opus tuum cum multis laboribus et consummasti cum maximis doloribus, rogo te, da mihi mandata perficere, et in tuis virtutibus proficere ; ac omnia per me,

te operante, bene acta et passa ad tuam laudem consummare, consummata tibi et per te Deo Patri offerre, ut in hora mortis possim dicere : Ecce, Domine, consummavi et perfeci opus quod dedisti mihi ut facerem, et nunc venio ad te, Magistrum meum et Dominum JESUM CHRISTUM ; et tunc merear te videre facie ad faciem. Amen. »

CONSIDERATIO.

De navi spirituali.

Nonnulli animam nostram *Navi* comparârunt in oceano hujus vitæ fluctuanti. Cum ex hac comparatione, si cum simplicitate evangelica expendatur, multa se offerant nobis vitæ spiritualis documenta, eademque pretiosissima, unum alterumve juvabit indigitasse.

1° Unusquisque igitur nostrum consideret semetipsum tamquam *navim onerariam*, varias merces et divitias per fluctus maris transvehentem. Navis ista ad *multos* appellatur *portus*, ubi sarcinæ partem exponat, aliam accipiat, commeatui prospiciat, copiamque aquæ dulcis sufficientem sibi comparet ; donec tandem perveniat ad optatissimum *patriæ* portum, ubi requies, ubi gaudium, ubi fruitio bonorum sempiterna.

Qui sint hi *portus intermedii*, nemo non videt. Sunt enim illa tempora quæ unicuique nostrum concedit divina Providentia ad vacandum speciali cura rebus nostris spiritualibus, ut sunt *recollectio menstrua* et solemnior recollectio quæ singulis annis per sacrum secessum instituitur.

Quam felices nos sacerdotes, si ex singulis portubus *ditiores* evadamus, ita ut in ultima statione tantas possideamus divitias ut eas cum regno beatorum commutare valeamus !

2° Navigantibus triplex *periculorum* genus valde timendum est atque omni diligentia vitandum : *tempestas* seu procella, *scopuli* et mare tranquillum seu *malacia.*

Tempestate submergitur navis ; *scopulis* confringitur ; *tranquillitate nimia* fluctuum progredi prohibetur, et sic vectores fame et siti perimuntur. Quæ omnia in vita spirituali locum habent, ut patet ex sequentibus.

I. Tempestates et procellæ quid sunt, nisi *tentationes*, modo subito advenientes, modo a longe prospectæ? Si, sæviente procella, occurreret *portus* quo vectores possent se conjicere, quantas hi gratias agerent Deo ! Nos autem in tempestate spirituali qualicumque semper obvium habemus portum quo nos conjicere liceat, *Cor Jesu et Cor optimæ Matris nostræ.* Eo semper avide confugiamus, dum sævit tempestas.

II. Scopuli sunt *illusiones* variæ, sive diabolus eas injiciat animo, sive amor proprius. Sunt quidem plures illusiones: sunt illusiones *intellectus*, sunt illusiones *voluntatis*; et sæpe valde periculosæ, immo plerumque ipsis tentationibus periculosiores, quia magis sunt absconditæ.

Quid faciunt nautæ quotiescumque præsentiam scopulorum suspicantur? Experiuntur mare instrumento quodam quod vocare solent perpendiculum nauticum (*sonde*). Quando igitur suspicamur et nos in vita nostra *latere* aliquem scopulum (et viri apostolici non raro habent unde tale quid suspicentur), adhibendum est statim *perpendiculum*, quod quidem aliud non est nisi *vox obedientiæ*. In quo ergo times ne sit illusio, id statim propone legitimo animæ gubernatori, et sic omne amovebis periculum.

III. Tertium genus periculorum est ipsa maris *nimia* tranquillitas, seu malacia. Quam miseri vectores illi qui tanto subjacent periculo! En, sole radiante et mari splendidissimo, se vident morientes morte tanto terribiliori quanto diuturniore. Unica ratio evadendi mortem esset validis remis incumbere, sed eheu! plerumque desunt vires, deest animus.

In vita spirituali quis non videt hanc miseram tranquillitatem esse *torporem*, *pigritiam*, *indifferentiam*, qua anima sacerdotalis

vel religiosa, medios inter radios solis et in splendidissimo animarum ferventium consortio, torpet, pigritat, manet quasi immobilis, et quidquid tempore exercitiorum cibi aut potus spiritualis percepit, consumit paulatim, donec tandem fame et siti pene interimatur.

Ubi compertum est hanc animi nimiam tranquillitatem in nobis adesse, quid faciendum? Arripiendi sunt remi, remis instandum fortiter, ut sancto illo conatu navigium nostrum *vi* propellatur. Remi sunt *oratio*, *mortificatio*, *pœnitentia*.

Itaque, ut summatim complectar quæ hactenus dicta sunt, triplex remedium est pro triplici periculo naufragii. Pro tempestate tentationum habemus portum tutissimum, devotionem scilicet erga Cor JESU et erga Beatissimam Virginem Mariam; pro scopulis illusionum habemus manifestationem cordis, ductui obedientiæ se subjicientis; pro tranquillitate pigritiæ habemus fervorem et rectum usum orationis et pœnitentiæ. Utinam Dominus JESUS nostram identidem ascendere dignetur navim, ut olim ascendit naviculam Petri, et sua divina præsentia nobis procuret fructuosissimam animarum piscationem!

EXAMEN.

Circa perseverantiam.

Quam merito dixit S. Hieronymus : Incipere plurimorum est, perseverare paucorum. (L. I. adv. Jovinianum, n. 36.)

Perseverantia est specialis virtus per quam homo in honestis operibus persistit, quantum necesse est. (Cf. S. Th., 2. 2., q. 137.)

Hanc virtutem commendat vehementer Dominus JESUS, dum dicit : « *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* » (Matth., X, 22.)

Hanc eximiis encomiis prosequitur auctor sermonis 8 ad Fratres in Eremo qui invenitur in Appendice Operum S. Augustini, dicens : *Perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hac laureantur martyres, coronantur virgines, sacerdotes sublimantur et confessores. Hæc est vestis sine ruga, tunica sine macula, bonitas sine malitia.*

1° An persevero in bene cœptis, ita ut minime sinam me detineri *molestia* quæ provenit ex rei laboriosæ *diuturnitate ?*

2° Dixit S. Albertus Magnus *argumentum habere veræ perseverantiæ, qui nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis a rectitudine recedit, vel flecti potest.*

An hoc argumentum veræ perseverantiæ habeo ?

3° An in me non sunt ea quæ solent impedire perseverantiam, scilicet *levitas...*, *remissio animi*, *pusillanimitas ?*

4° An perseveravi *in propositis*, quæ in ultimo secessu annuo, gratia adjuvante, conceperam ?

5° An perseveravi in iis vitæ spiritualis subsidiis usurpandis quæ viri sancti, omnes ad unum, non cessant commendare sacerdotibus, ut sunt *meditatio quotidiana*, *examen conscientiæ*, *piorum librorum lectio*, *visitatio Sanctissimi ?*

6° An perseveravi in studio rerum sacerdotii mei, nempe in studio theologiæ, Scripturæ sacræ, historiæ ecclesiasticæ ?

7° An non sivi quædam opera, ab antecessoribus meis instituta, collabi, per ignaviam meam meumque horrorem difficultatis ac molestiæ ?

8° An non numerandus sum inter illos sacerdotes, qui multa aggrediuntur ardenter et qui, vel minima exsurgente difficultate, statim cadunt animo et a cœptis resiliunt ?

9° An non sum de illis de quibus dixit Dominus : *Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare ?*

10° An profiteor hoc aureum S. Francisci Salesii principium : *Usque ad finem ?*

« Felix anima quæ vitam suam ad bonum

perseverantiæ finem perducere meretur; ut post multos labores corporis et dolores cordis, possit in fine dicere quod Christus dixit in cruce: *Consummatum est.* » (Th. Kemp. Sermo trigesimus ad Novitios.)

RECOLLECTIO XVII.

CONTEMPLATIO.

De septimo verbo Domini in cruce.

1um Præl. Videamus JESUM jamjam spiritum traditurum, et audiamus Eum valida voce clamantem: « *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* »

2um Præl. O Domine JESU, concede nobis gratiam uberrimam referendi fructum ex ultimo quod protulisti verbo.

Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. (Luc., XXIII, 46.)

I. Perpendamus ordine singula.

1° *Clamans voce magna.*

Christum in extremo vitæ spiritu *magna voce* clamare potuisse, id miraculum fuit, quo videtur *divinitatem* suam declarare voluisse, ut qui supra humanam naturam in ipso extremo spiritu tam magna clamaret voce, duceretur plus esse quam homo. Quod intellexit et ipse centurio, ut testatur S. Marcus (XV, 39), dicens : « *Videns autem centurio, qui ex adverso stabat,*

quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. » Et re quidem vera in hoc valido clamore apparent *divina* Christi *potentia* et *caritas*.

a) Potentia. Nam qui naturaliter moriuntur, paulatim vires et vocem amittunt, neque in extremo spiritu clamare possunt. Magnus igitur Dominus Christus est, qui etiam *moriens*, non solum in extremo spiritu clamat, sed etiam terram concutit, lapides scindit, monumenta aperit, velum templi disrumpit ; quæ omnia *Christo moriente* facta esse Evangelista testatur.

b) Caritas. Ex eo quod Dominus clamans voce magna exspiravit, colligitur eum potuisse non mori et *sponte sua* obiisse. Hoc prædixerat Jesus, dicens : *Nemo tollit* animam meam *a me, sed ego pono eam a meipso.* (Joan., x, 13.) Atqui, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Joan., xv, 13). Sed, o mi Jesu, tuam caritatem erga nos, in cruce moriendo, multis modis ineffabiliter demonstrasti. Primum enim, vita tua omnium vitarum pretiosissima erat,

quippe vita *hominis Dei*, vita *Regis* omnium potentissimi, vita sapientissimi omnium *doctorum*, vita optimi omnium *proborum*. Deinde vitam posuisti pro *inimicis*, pro *sceleratis*, pro *ingratis*. Præterea, vitam posuisti ut istos inimicos, sceleratos et ingratos a gehennæ incendiis, quibus addicti jam erant, tui sanguinis pretio liberares. Denique, vitam posuisti, ut istos eosdem tibi fratres et cohæredes, et in regnis cœlestibus perpetuo felicissimos collocares! Et erit deinceps aliquis sacerdos tam durus et tam efferatus qui te, o Jesu, toto corde non diligat et pro amore tuo quæcumque aspera non libens sustineat?

2° *Pater.*

Fiduciæ et amoris verbum est. Non bene tu, sacerdos, id usurpas, nisi vivas ut *filius* amans, reverens, obsequens.

3° *In manus tuas.*

In iis solum est quies et securitas. *Manus* autem *Dei* dicuntur in Scripturis *intelligentia et voluntas*, sive *sapientia* et *potentia*, sive quod in idem recidit, *intellectus omnia sciens* et *vo-*

luntas omnia potens. His enim duabus, quasi manibus, Deus omnia complectitur. — O sacerdos, ut in illis sis Dei manibus in æternum, conjice te in illas dum vivis, *perfecta tuæ voluntatis in divinam resignatione.*

4° *Commendo spiritum meum.*

Commendo, quasi in depositum trado, ut cum fide restituatur, quando restituendi tempus advenerit.

Spiritum meum. Solet spiritus et pro *anima*, quæ forma substantialis corporis est, et pro *vita* accipi ; quoniam signum vitæ spiratio est, et qui spirant vivunt, qui spirare desinunt, moriuntur. Illa igitur verba, *commendo spiritum meum*, significant *animam* Christi, quæ fuerat in corpore tamquam in tabernaculo, futuram esse in manibus Patris, quasi in deposito, donec revertatur ad corpus, juxta illud : « *Justorum animæ in manu Dei sunt.* » (Sap., III, 1.)

Attende, o sacerdos, Christum Patri commendasse *spiritum*, *non corpus ;* hoc enim in lectulo crucis jam quiescit. Disce igitur animæ majorem curam

quam corporis habere. Ut autem anima secure transeat in manus Dei, vide ut corpus semper sit in cruce per continuum exercitium sinceræ mortificationis. — Disce etiam in manibus Dei te tuaque omnia collocare, ut pro arbitrio suo de iis paterne disponat.

II. Consideremus *fructum* hujus ultimi JESU verbi.

1° Ad nostram consolationem scripsit S. Cyrillus Alex. (Lib. XII, in Joan. I,) : « Tradidit animam suam manibus Genitoris, ut *ab illa* et *per illam* facto initio, certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes in manibus Dei nos post mortem futuros. » Hinc ex toto cordo gaudeamus.

2° Citat Christus moriens Psalmum XXX, 6. ubi David afflictus et in mortis periculo constitutus, tam in sua quam in Christi persona orat, *In manus tuas commendo spiritum meum.* Unde, ait Corn. a Lapide, eumdem versum et psalmum quotidie usurpat canitque Ecclesia in Completorio sub noctem, ut doceat nos, quando imus cubitum, animam Deo commendare, quia noctu

multa mortis subitaneæ occurrunt pericula.

Merito eumdem versum usurpant *moribundi*. Hoc enim versu testamur: *a)* Nos *animam* in nativitate accepisse, non a patre vel matre, sed a solo Deo, ideoque nos illi eamdem, quasi creaturam ipsi propriam, reddere. *b)* Testamur nos credere animam in morte non interire, sed esse superstitem et immortalem, ac ad Deum, qui eam creavit et judicabit, redire. *c)* Testamur nos credere carnis resurrectionem; morientes enim Deo commendamus animam, ut ipse eam, quasi depositum, servet, et in resurrectione corpori nostro restituat. *d)* Testamur nos in agone ultimo, dum acerrime cum dæmone pugnamus, et in ipsa morte, implorare Dei opem, ut animam creatori ac Domino resignantes, dæmonem superemus de eoque triumphemus.

3° Non sine fructu frequenter et saltem in unaquaque recollectione menstrua, recitabit sacerdos hanc humilem ad JESUM precem: JESU, qui in cruce moriens, animam tuam Patri commen-

dasti, da mihi in hac vita tibi spiritualiter sic commori, quatenus tu in hora mortis meæ digneris animam meam habere commendatam. Ego autem, Domine, in illas manus tuas extensas et perforatas, et sacro sanguine respersas, commendo spiritum et corpus meum ; et supplico caritati tuæ, ut in novissima hora possim cum memoria integra, fide pura et spe firma animam meam in manus tuas misericordissimas commendare, quas ad me salvandum expandisti in cruce ; et audire merear verbum illud dulcissimum : *Hodie mecum eris in Paradiso.*

CONSIDERATIO.

S. Joseph, speculum perfectionis.

I. Ante omnia attente inspiciamus *domum* in qua sanctissimus Joseph fere per totam suam vitam habitavit. Hæc domus valde *exigua* erat, vix nota vicinis et concivibus. *Pauper* erat ; sed si quis eam consideraverit oculo fidei, mirabitur quam *pulchra* sit, quam *jucunda*, quam *splendida*. Quinque in ea nitent singulari splendore, nempe *paupertas*, *ordo*, *mundities*, *labor*, *pietas* ; quæ domum Nazarethanam converterant in *paradisum*

quemdam *terrestrem*. Unusquisque videat num suum presbyterium, vel suum cubiculum aliquid habeat similitudinis cum illa domo benedicta.

1° An in domo tua, o sacerdos, viget, non dico paupertas, sed aurea et sancta *mediocritas?* An hæc apparet in *supellectili*, in *mensa*, in *vestitu?*

2° An in domo tua omnia nitent *munditie*, quæ imago sit animæ tuæ? An non multa in domo tua, in tuo cubiculo obducta sunt *pulvere* atque *squalore?*

3° An in domo tua splendet *ordo* per omnia, ita ut ea quibus indiges, *statim*, sine jactura temporis, inveniantur?

4° An in domo tua viget *labor?* Si parietes tui cubiculi loqui possent, an testarentur te nunquam indulgere otio; te nunquam terere *nugis* tempus pretiosissimum; te volvere non folia publica tantum, sed etiam libros solide conscriptos quibus scientia continetur sacerdotalis?

5° An in domo tua splendet *pietas?* Iterum, si parietes cubiculi loqui possent, an testarentur te *tempore* debito et *modo* convenienti vacare *meditationi... lectioni spirituali... examini conscientiæ...* et *piæ Rosarii recitationi?* O utinam omnis habitatio sacerdotalis domus sancti Joseph referat imaginem! Quam *felix* tunc erit quamque *Deo grata* et ipsi sacerdoti *jucunda!*

II. Jam ipsum contemplemur virum in ista beatissima domo commorantem. Quam admirabilis nobis apparet! Admirabilis sane sua *generositate*, suo *silentio*, sua pro domesticis *devotione*, sua *fortitudine*, sua *cum Jesu* et *Maria unione*.

1° Admirabilis exstitit sua *generositate*. Nonne summa cum generositate accepit de manu Dei *humilem* suæ vitæ *conditionem? Rex* esse debebat, *dives*, et inter mortales *gloriosus*. Sed ecce, Deo volente, *faber* lignarius fuit, pauper et hominibus fere ignotus. Nunquam de hac humili sua sorte doluit; nunquam de hac conqueri auditus, nunquam sibi repetere hanc diabolicam suggestionem: *Ascende superius et felicior eris*.

Faxit Deus ut omnes sacerdotes conditione vitæ quam eis dedit Dominus, contenti essent! Non murmurarent de paupere sua parœcia, de exiguo suo munere; neque invidiæ tabescerent livore, dum alios ad altiora provectos conspiciunt.

2° Admirabilis exstitit suo *silentio*. Stupendum sane fuit hoc silentium et longe superans vires humanas. Conscius erat maximorum mysteriorum consiliorumque Dei; sponsam suam sciebat Virginem esse sanctissimam simul et Matrem divinam; filium curæ et sollicitudinis suæ sciebat Deum esse: *nunquam* tamen ex ore ipsius elapsum est vel minimum verbum quo

prodere potuisset arcanum sublimissimum.

O si sacerdos sciret silere ! Quot aureæ silendi sunt sacerdoti occasiones! Est enim multiplex silentium : silentium *humilitatis*, silentium *prudentiæ*, silentium *caritatis*, silentium *obedientiæ*, silentium *patientiæ*. Quam felix sacerdos qui vel semel in vita imitaretur *silentium triumphale* quo Dominus JESUS dimicavit adversus dolos inimicorum suorum !

3° Admirabilis exstitit sua pro domesticis *devotione*. Se totum devovit utilitati sanctæ suæ familiæ ; se totum in ipsius felicitatem impendit. Intelligat igitur sacerdos quomodo debeat se totum devovere utilitati parœciæ suæ; quomodo se totum debeat in ipsius felicitatem impendere. Vivere eum decet *non sibi*, *sed suis ;* hoc boni pastoris esse docuit JESUS.

4° Admirabilis exstitit sua *fortitudine*. Quam fortem se præstitit, cum difficillimo itineri se accinxit et durissimo se addixit exsilio, ad eripiendum puerum divinum manibus crudelis Herodis. Non minus fortis apparuit in tot ac tantis tribulationibus quibus, ut ait S. Chrysostomus, tota ipsius vita fuit veluti contexta. Merito quis dixerit te, o sanctissime Joseph, martyrem absconditum. Et tu, sacerdos, quam fortis esse debes, si sancte et fideliter munere tuo fungi volueris ! Quot quantaque tibi certamina

ineunda ad salvandum gregem tibi a Deo commissum ! Quot ardua sustinenda ! Sed macte animo, o Frater ; hæc ardua sustinendo, hæc certamina ineundo, gloriosissimum Martyris nomen obtinebis apud angelos Dei pro tota æternitate.

5° Admirabilis exstitit sua *cum Jesu et Maria unione*. Ex hoc capite dicendus est S. Joseph inter omnes homines, qui in terris commorati sunt, felicissimus. Propterea non dubitat Mater Ecclesia asserere S. Joseph omnes sanctos in hac lacrymarum valle beatitudine superasse, dum canit : « *Post mortem reliquos mors pia consecrat, palmamque emeritos gloria suscipit ; tu vivens, Superis par, frueris Deo, mira sorte beatior.* » Quid, o sacerdos, te impedit quominus aliquo saltem modo eadem sorte fruaris ? Nonne in Tabernaculo habitat ille JESUS quem toties brachiis siis piissime complexus est sanctissimus Joseph ? Assuesce agere familiariter cum tanto amico.

EXAMEN.

Circa primam Beatitudinem.

Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (Matth., v, 3)

Quatuor sunt classes pauperum spiritus.

I[a] Classis est eorum qui *habentes divitias*, fideliter sequuntur monitum Spiritus sancti : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* (Ps.

LXI, 11.) Atqui non apponere cor divitiis est :

1° Eas nolle acquirere aut conservare cum peccato. An hæc est mea animi dispositio ?

2° Non tantam de iis habere sollicitudinem, ut impediatur quis quominus adimpleat debita sua officia. An abest a me talis sollicitudo ?

3° Paratum se exhibere ad omnia relinquenda, si hæc fuerit Dei voluntas. An ad hoc paratum me invenio ?

II^a Classis est eorum qui *vere pauperes sunt*, et qui sua sorte contenti, Deo serviunt fideliter in simplicitate cordis. An conor ad hanc classem pauperum pertinere, *patienter* sufferendo quidquid accidit adversi in rebus meis temporalibus ?

III^a Classis est eorum qui *voluntarie se spoliant* rebus temporalibus ad imitandam paupertatem Christi, sicut religiosi. An ego, si non omnium rerum possessione me privo, saltem libenter me privo aliquot rebus, quas in pauperes expendam vel in pia opera ?

IV^a Classis est eorum qui sunt *vere humiles*, ait S. Augustinus. Hæc autem paupertas quatuor habet actus :

1° Cum quis mavult omnia perdere quam Deum offendere ;

2° Cum quis humiliter de se sentit et optat alios ita sentire ;

3° Cum quis etiam judicio et propria voluntate se spoliat, eam aliis subjiciendo ;

4° Cum quis intime agnoscit omnia dona naturæ et gratiæ esse a Deo, et a se nihil esse nisi nihilum et peccatum.

An hæc est mea spiritus paupertas ?

Ut sacerdos ad veram paupertatem spiritus perveniat, utiliter familiarem sibi faciat hanc cujusdam piissimi viri orationem : *Domine Jesu, qui toto vitæ decursu pauperta-tem in sociam individuam elegisti, in stabulo paupere nascens, in cruce nudus moriens, prædicationis tempore, ubi caput reclinares, non habens, largire mihi paupertatis spiritum ; ut Te imiter, Tibi placeam, atque hic centuplum, in futuro vitam æternam possideam. Fac ut animum magis ac magis retraham a caducis, atque unicus thesaurus meus sis, qui es omnia ! Amen.*

RECOLLECTIO XVIII.

CONTEMPLATIO.

De apparitione facta B. M. V.

1um Præl. Recordemur quomodo Dominus Jesus redivivus benedictæ Matri apparuerit.

2um Præl. Petamus ut participes fiamus immensi gaudii quod habuit Jesus ejusque Mater.

De hac apparitione, qua ante cæteros Virgini gloriosæ apparuisse creditur Jesus, in Evangelio nihil dicitur, sed ut ait S. Ignatius, habetur pro dicto cum dicat eum apparuisse tam multis aliis; quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est *Adhuc et vos sine intellectu estis?* (Matth., xv, 16.)

Præ cæteris igitur omnibus apparuit Jesus sanctissimæ Matri, utpote *carissimæ... dignissimæ... meritissimæ*. Dignum sane erat ut Matrem præ cæteris visitaret et resurrectione sua priu lætificaret, quæ præ cæteris plus dilexit... ejus amoris desiderio plus affi

ciebatur... plus de ejus morte doluit... plus dolore afflicta ejus resurrectionem exspectavit.

I^um^ PUNCTUM. — Personæ.

1° Contemplemur B. M. V. in domo sua solitariam... afflictissimam... plenam tamen *fide* et *spe* resurrectionis. Propterea non, ut aliæ sanctæ mulieres, tetendit ad sepulcrum... Tranquillo animo momentum resurrectionis exspectat.

Discamus in tribulatione fortes esse in *fide* et *spe*, ad exemplum optimæ Matris.

2° Contemplemur deinde sanctos angelos sanctosque patres. Quanta pulchritudo! quanta lætitia! Quam honorabilis Christi Domini comitatus, quamque gloriosus! O quantum differt hic comitatus ab illo, quo aliquot ante diebus deducebatur ad montem Calvariæ!

Sic erit iis aliquando, qui Christum serio sequuntur. Macte ergo animo sis, o sacerdos!

3° Gaudentes ante oculos ponamus jucundissimum hujus primæ apparitio-

nis spectaculum, quod piissimus quidam Mariæ servus sic descripsit. « Mater Jesu, sola in sècreto domus sedebat, mente revolvens quæ accide rant circa unigenitum Filium suum, orans et lacrymas dulciter emittens. Ecce subito adstat Jesus in albissimis vestibus *gloriæ et novitatis suæ ;* vultu sereno, speciosus, gloriosus et gaudens, ac Matri desolatæ et mœrenti totus festivus apparens. Illa autem adorans et surgens cum lacrymis præ gaudio, Eum amplexatur, et *unico momento* tota acerbitas mœroris in *lætitiam* vertitur. Profecto solius divinitatis est sic unico momento complere gaudium suorum !

Postea Maria curiose intuetur Eumdem in vultu et cicatricibus per totum, diligenter quærens si omnis pœna transiisset et omnis dolor ab Eo discessisset. O quanto gaudio Mater impletur, cum ipsa Natum *impassibilem* videt, non solum in æternum victurum, sed et cœlo et terræ omnique creaturæ perenni jure dominaturum ! » Quis castos amplexus, affectus cœlestes, aut exprimat aut capiat ?

Utinam et tu aliquando, o sacerdos, eidem Matri tuæ, quæ tibi semper in necessitatibus tuis adfuit, ostendere te valeas in *novitate vitæ* ambulantem !

Utrique, Jesu scilicet et Mariæ, ex animo congratulemur, et gratias agamus Jesu de *prompta* et *copiosa* Virginis Matris consolatione.

IIum Punctum. — Verba.

Consideremus : 1° Verba *Christi* ad Matrem. Gratias ei agit de compassione... de imperturbata constantia... de iis quæ tam generose ipsius amore passa est.

2° Verba *angelorum* ad *Christum : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam et fortitudinem, et honorem, et gloriam et benedictionem.* (Apoc., v, 12.)

3° Verba *angelorum* ad *Mariam : Regina cœli, lætare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit sicut dixit, alleluia.*

4° Verba *sanctorum patrum, avorum* præsertim et *agnatorum*, Annæ, Joachim, Josephi, Joannis Baptistæ : *Tu*

gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. (Judith, XV, 10.)

5° Conjungamus voces nostras cum illis, et Christo et Beatæ Virgini congaudeamus.

III^um^ PUNCTUM. — **Opera.**

1° JESUS Mariam dulcissime et plenissime *consolatur*. Merito, o Maria, dicere potuisti : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (Ps. XCIII, 19.)

Ostendit illi quatuor *dotes* corporis sui gloriosi. Utinam et nos eidem Matri ostendere possimus dotes nostræ spiritualis resurrectionis. Appareat nostra *agilitas*, ut ad omnem nutum Dei et superiorum simus *promptissimi*. Appareat nostra *subtilitas*, ut, nihil intendendo aliud quam facere Dei voluntatem et beneplacitum, *æque transeamus illæsi* per studia, per conversationem cum proximo, per prospera et per adversa, atque per orationem. Appareat nostra *claritas*, ut aliis præbeamu

exemplum ad augendam Dei gloriam. Appareat tandem nostra *impassibilitas*, ut libenter et sine tædio amplectamur omnis generis mortificationes, dolores, humilitates et ærumnas, per plenam et absolutam nostri ipsorum abnegationem et per constans et generosum tertii gradus humilitatis exercitium.

2° Quænam *sensa cordis Mariæ*, Jesu Domino apparente ? Sui ipsius oblita, tota est in *gaudendo* de gloria et de felicitate Filii sui, pro nihilo reputans quod ipsa adhuc multa sustinere debeat in hac lacrymarum valle... Unico oculi ictu *intelligit*, in corpore et anima Jesu *gloriosis*, *inæstimabile pretium*, ærumnarum, laborum et humiliationum... Iterum toto animo *se accingit* ad novum et diuturnum martyrium ; sufficit enim amantissimæ Matri quod Filius felix sit et sedeat gloriosissimus ad dexteram Patris, cum eo in æternum regnaturus.

Hæc sint, o Jesu et Maria, cordium nostrorum sensa. Vere et sincere gaudeamus de vestra felicitate et gloria, et donec nos gloriæ vestræ et felicitatis

participes fiamus, strenue et invicto animo tædia præsentis exsilii sustinere valeamus. Amen.

CONSIDERATIO.

De Cantico « Magnificat. »

Pro singulari protectione qua dignata est B. M. V. nostras recollectiones menstruas fovere, stimulare atque multiplici ditare fructu, juvabit præsentem recollectionem totam in laudem benignissimæ Matris nostræ dirigere. Quapropter perpendenda proponuntur, juxta doctissimos Scripturarum interpretes, verba quibus Maria, ab Elisabetha laudata, totum, propter quod laudatur, in Auctorem omnium bonorum, Deum, refundere voluit.

Canticum B. M. V., ait Corn. a Lapide, est omnium sacræ Scripturæ canticorum præstantissimum, ut a Verbo in utero Virginis jam concepto et exsultante compositum dictatumque videatur ; quod proinde Ecclesia quotidie in officio vesperarum usurpat, et solemni ritu decantat, ut eumdem Deum summe celebret et glorificet, Eique, pro Verbo incarnato cæterisque donis maximas agat gratias, utque affectus devotionis, pietatis, amoris, exsultationis, quos in eo dictando cœlitus hausit B. M. V., hauriat et imbibat.

Porro tres cantici hujus sunt partes. Prima, a v. 46 ad v. 50, Virgo laudat Deum ob beneficia propria, sibique uni a Deo præstita. Secunda, a v. 50 usque ad v. 54, laudat Deum ob beneficia communia toti populo ante adventum Christi præstita. Tertia, a v. 54 usque ad finem cantici, redit ad beneficium hoc maximum incarnationis Verbi, patribus promissum, sibique exhibitum. Duas priores partes tantum expendamus.

1° *Magnificat anima mea Dominum.*

Disce, o sacerdos, dum ab aliis laudaris, omnem laudem Deo adscribere, ipsique soli bonum omne acceptum referre, qui vere solus est omnis boni auctor et largitor.

2° *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Non exsultat in excellentissimis dotibus, quibus ejus animam et corpus Deus instruxerat, sed in Deo salutari suo, bonorum omnium largitore. Vide quam ab hoc Virginis sensu mores tui discrepent. Contende deinceps ut Dei genitrici sis similior quam mundi sectatoribus, qui, opibus, honoribus, voluptatibus inconstantique prosperitate gaudentes æternis miseriis plerumque breve solatium pensant.

3° *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Non sufficiebat Beatissimæ Virgini, audiente angelo, se ad ancillæ usque humili-

tatem dejecisse ; en hic iterum coram cognata, ancillam se facit cumque ab Elisabetha *Domini mater* salutetur, sese constanti humilitate *famulam* profitetur. Imitare hanc animi submissionem, si aliquando exaltari desideres ; *non est enim alia* extra humilitatem *ad gloriam via.*

4° *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

« Dignare, inquit Gerson, nos laudare te, Virgo sancta, o ter quaterque beata ! *Beata* quæ credidisti, clamat Elisabeth. *Beata*, quæ gratia plena, secundum Gabrielis salutationem. *Beata et benedicta*, quia benedictus Fructus ventris tui. *Beata*, quia fecit tibi magna qui potens est. *Beata*, quia mater Domini. *Beata*, quia fecundata cum virginitatis honore. *Beata*, quia nec primam similem visa es nec habere sequentem. »

Merito deinde ab omnibus *beata dicitur*, quia inter omnes iis rebus locupletissime instructa erat, quarum possessio, Dei judicio, homines BEATOS reddit. Erat *spiritu pauperrima*, et ideo super omnes cœlos potentissimæ reginæ dignitate decorata. — *Mitis* erat, ideoque terram possidebat, i. e. in corporis sui sensus commotionesque, nullo reluctante, dominatum tenebat. — *Lugebat* tantam scelerum colluviem, et hinc frequentibus e cœlo solatiis perfundebatur. — *Esuriebat et sitiebat* humani ge-

neris redemptionem, qua in admirabili illa hominis cum Deo reconciliatione, per Filium suum perfecta, cumulate satiata fuit. — *Misericors* erat; unde descendit in ipsam immensa et inexhausta Dei misericordia, quæ divinis illam muneribus cumulavit. — Erat *pacifica*, et hinc super omnes Dei filios insigni prærogativa *Dei filia* nominata fuit. — Erat *mundo corde;* mundiorem enim nunquam virginem mater genuit, in qua virgineam puritatem cum materna fecunditate Deus inaudita societate conjunxit; quapropter Deum clarius intuetur, quia Deo in hac vita supra omnes castius ministravit. — Nec defuere integerrimæ Virgini *tristia* quæ toleraret, cum animam ipsius acerbissimus ille gladius toties transfixit; et hinc æternæ gloriæ diademate redimita, modo amplissimum inter omnes, qui adversa pro justitia pertulere, regnum in cœlis possidet.

5° *Fecit mihi magna qui potens est.*

Illam ex omni muliebri sexu selegerat in virginem et matrem; quod ante ipsam concessum nemini, nec in posterum nulli concedetur.

6° *Fecit potentiam in brachio suo.*

Majusne opus unquam ab æterno Deus molitus est, quam cum divinæ sublimitati humanæ carnis infirmitatem conjunxit? Cœli, terræ molitio nulla ex parte cum hujus operis magnitudine conferri potest.

Verbo uno cœlum et terra creata sunt ; sed ut Deus homo exsisteret, dixit multa Deus et fecit.

Hic tecum perpende, o sacerdos, quid tui causa Deus præstiterit, et quid præstet mundus ; quid a te Deus exigat, quid ei debeas.

Hoc incarnationis Verbi *opus* omnium operum *Dei* fuit maximum ; fuit enim opus 1° *summæ potentiæ*, unire Deum homini, cœlum terræ, spiritum carni ; hæc enim sunt duo extrema in infinitum a se distantia ; 2° *summæ bonitatis*, qua Deus se totum omniaque sua bona homini communicavit ; 3° *summæ sapientiæ*, qua hanc unionem fecit in persona divina, ut utrique naturæ, humanæ scilicet et divinæ, sua servaretur integritas. (Conf. S. Th., 3 p., q. 1.)

7° *Dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Considera quomodo a mundi exordio *superbi* ab eo fuerint dispersi : Angeli, Babylonicæ turris architecti, Pharao totaque Ægyptus, Nabuchodonosor cum Balthasar filio, Herodes aliique complures.

Vide contra ab eo exaltatos humiles Abraham, Isaac, Jacob, Israelitas cum Moyse oppressos, Jobum et Tobiam, Judith et Esther, Danielem cum sociis, Judam Machabæum ejusque fratres ; Beatissimam

Matrem ab humili dejectione supra omnes mortales exaltatam.

8° *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

Sic esurientes Hebræos, manna de cœlo pluente, aluit in deserto per 40 annos ; sic eosdem induxit in terram promissam, lacte et melle manantem. Sic Eliam esurientem Deus pavit per Angelum, Danielem in lacu leonum per Habacuc, Paulum, primum eremitam, per corvum. Sic et B. Virginem, justitiam esurientem et sitientem, pavit Verbo incarnato, ac eodem fideles omnes pascit in S. Eucharistia, magisque pascet in cœlo.

EXAMEN.

Circa secundam Beatitudinem.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

I. Mansuetudo, juxta theologorum doctrinam, tres actus habet.

1° *Frenat iram et appetitum vindictæ, ut necessarias castigationes faciat sine ulla perturbatione externa et interna.*

a) An soleo iram frenare ?

b) An non nutrio erga aliquem vindictæ appetitum ?

c) An in corrigendo subditos, non ostendo me turbatum vultu, verbo et corporis agitatione ?

d) An faciendo castigationes necessarias non sino me commoveri interius?

2° *Alloquio et moribus reddit suavem, et nulla in re aliis molestum.*

a) An non aliquid durius apparet in meo modo loquendi?

b) An ita loquor ut omnes libenter mecum conversentur?

c) An non meum fugiunt alii consortium, quia audientibus me vel videntibus *molestiam* pario, sive inurbanitate, sive risu incondito, sive frequenti suspirio et gemitu, sive querelis et oblocutionibus, sive vultu tristiori?

3° *Mala ab aliis illata libenter tolerat; neque, dum potest, justa defensione utitur.*

a) Quo animo mala ab aliis illata assuevi tolerare? nonne animo perturbato, iracundo, impatienti?

b) Nonne, quotiescumque datur occasio, mala pro malis rependo?

c) Quam raro læsus non lædo, verbis punctus, non pungo?

d) An vel semel in vita male tractatus *tacui*, utendo silentio triumphali quo usus est Dominus JESUS?

II. Dixit JESUS: *Discite a me quia mitis sum.*

Hanc Christi mansuetudinem ita descripsit Isaias: *Non erit tristis, neque turbulentus.* Et ego? — *Non clamabit neque audietur vox ejus foris.* Et ego? — *Calamum quassatum*

non conteret, et linum fumigans non exstinguet. Et ego?

Eamdem mansuetudinem descripsit S. Petrus, dicens: *Cum malediceretur, non maledicebat.* Talis fuit in ferendis opprobriis Judæorum, talis in absolutione adulteræ, talis in Magdalenæ defensione. Quam longe absum, o JESU, ab hac tua jucundissima mansuetudine?

III. An possideo *terram*, quam promisit mitibus JESUS?

1° An possideo *terram cordis mei* in pace et tranquillitate?

2° An possideo *terram*, i.e. *corda aliorum.*

3° An mihi firma spes, me mea mansuetudine hæreditaturum esse *terram viventium*, id est, cœlum?

RECOLLECTIO XIX.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Jesu facta mulieribus.

1um Præl. Recordemur quomodo sanctæ mulieres cum timore et gaudio redierint e monumento, narraturæ discipulis quæ de resurrectione Jesu audiverant.

2um Præl. Petamus a Deo Patre gratiam sentiendi erga Jesum redivivum quod sentiebant istæ sanctæ mulieres.

Ium Punctum. — **Mulieres eunt ad monumentum.**

1° Consideremus illarum mulierum optimas animi dispositiones : nempe *desiderium ingens Jesu : aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem* (Cant., VIII, 7) ; *obedientiam legi*, propter quam manserant domi ; *promptitudinem* et *diligentiam* ad quærendum Dominum mortuum : *exeunt* enim *valde mane ; fortitudinem :* siquidem non timent tenebras, neque milites, neque regionem mortuorum. Quodnam est

nostrum Christi desiderium? Quænam fidelitas ad legem servandam? Quænam promptitudo? Quænam animi fortitudo?

2° *Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata.* (Luc., XXIV, 1.)

Speculemur tres mulieres sanctas euntes ad sepulcrum Christi. Erant instructæ aromatibus, *ut venientes ungerent Jesum* (Marc., XVI, 1), etsi scirent jam a Josepho et Nicodemo unctum, spectantes non *quid ab aliis* factum sit, sed *quid a se* fieri deceat. Sic nos, dum imus ad S. Communionem, vel dum quærimus JESUM, debemus nobiscum ferre *aromata virtutum.*

3° Mulieres *valde mane venerunt ad monumentum.*

Non mirum est postea a mulieribus inventum fuisse Christum, nam ipse dixerat : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* (Prov., VIII, 17.) O si promptior essem ad surgendum ut non impedirer ab *instituenda meditatione*, facilius jucundiusque Christum inter meditandum invenirem.

4° *Et dicebant ad invicem : Quis re-*

volvet nobis lapidem ab ostio monumenti? (Marc., XVI, 3.)

Notemus in illis mulieribus *constantiam;* quamvis enim hoc dicerent, non ideo omittebant bene cœptum iter. Sic et te, o sacerdos, in arduis *constantem* esse oportet; propterea pete frequenter a Spiritu sancto donum *fortitudinis.*

5° *Et ecce terræ motus factus est magnus, et respicientes viderunt revolutum lapidem.* (Marc., XVI, 4.)

En ut divina providentia constantiam et fiduciam juvat! Terræ motu revolvitur lapis, fugantur custodes, qui opus intentum impedire potuissent. Ita Deus ad se tendentibus adest: tollit scilicet *impedimenta externa* aliorum hominum aut circumstantiarum, et *interna* malorum habituum; et fugat dæmones inimicos. Ergo confidamus in Domino semper, et dicamus cum Davide: *In Deo meo transgrediar murum* difficultatum et impedimentorum, quæ videntur suscepto operi obstare. Ecce *anxietas* quam habuerant de lapide, versa est in *consolationem* interiorem.

Talis vicissitudo *desolationis* et *consolationis* frequens est in hac vita ; ideo in desolatione *erigendus est animus spe* consolationis, et in consolatione *parandus* ad desolationem. Quapropter, o sacerdos, assuesce te totum resignare voluntati Dei, qui *mortificat et vivificat; deducit ad inferos et reducit ; pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat.* (S. Ign., de disc. spirit., 2 reg.)

6° *Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis.* O quantum solatium ! Ergo nihil nobis timendum (Matth., XXVIII, 5), dummodo quæramus JESUM et hunc crucifixum.

7° *Non est hic; surrexit enim, sicut dixit.* (Matth., XXVIII, 6.)

Perpendamus quomodo Christus primum *per Angelos* nuntiaverit mulieribus resurrectionem. Nam, ut docet Suarez, una ex præcipuis functionibus angelorum est dare *bonas inspirationes* suis clientibus. Excitemus igitur in nobis erga hos sanctos Angelos affectus *reverentiæ, fiduciæ, devotionis.*

8° *Non est hic.*

Jesum quærunt in tumulo : *dolere* poterant quod hic non erat ; sed si sui Jesu bonum amabant, gaudere debebant quod gloriosus surrexerat. — Ubi tu, o sacerdos, Jesum quæris ? An in *tuis commoditatibus ?* in *creaturis ?* in *sensuum oblectamentis ?* Quoties responderunt tibi divina lumina : *Non est hic !*

9° *Non est hic, sed surrexit.* (Luc., XXIV, 6.)

Infallibile resurrectionis signum exhibet angelus, *quia non est hic.* Hoc argumento probatur etiam *nostra spiritualis resurrectio*, si ab Angelo custode dici possit : *Non est hic*, i. e. in hac imperfectione, in hoc pravo affectu, in hac passione, in priore tepiditate spiritus. O sancte Angele custos, impetra mihi a Jesu gratiam frequenter tibi dandi hanc consolationem.

IIum Punctum. — **Mulieres redeunt a monumento.**

1° *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno.* (Matth., XXVIII, 8.)

Unde *gaudium?* Quia sciebant Christum surrexisse. Unde *timor?* Quia nesciebant ubinam esset. — Petamus nos donum *consilii*, ut non tantum intelligamus *ubi Christus non sit*, sed etiam *ubi sit*. Utinam sciamus *malum*, a quo declinandum, sed etiam *bonum*, quod faciendum.

2° *Currentes nuntiare discipulis ejus.* (Matth., XXVIII, 8.)

Hoc proprium est illis, qui Spiritu sancto pleni sunt, loqui magnalia Dei, eaque aliis cito nuntiare et divulgare. Vide, o sacerdos, num in te sit talis spiritus qui faciat te currere ad mysteria Dei divulganda. Quod si absit a te, stude eum in te suscitare, dicendo cum propheta : *Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna ; ecce labia mea non prohibebo. Justitiam tuam non abscondi in corde meo ; veritatem tuam et salutare tuum dixi.* (Ps. XXXIX, 11.)

3° Audiamus mulieres in reditu *inter se loquentes.* Sane non lubebat illis loqui de *rebus mundanis* et *vanis*, neque de iis quæ Hierosolymis vel in Imperio romano gerebantur ; sed tantum de

mysterio resurrectionis. — Si nos quo-
que sacerdotes Christum quæreremus
eo fervore, quo mulieres, non placeren
vani rumores. Doleamus de inanibus
nostris colloquiis, dicamusque Deo
Narraverunt mihi iniqui fabulationes
sed non ut lex tua! (Ps. CXVIII, 85.)

4° *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens*
Avete. (Matth., XXVIII, 9.)

Ad unam vocem expellitur timor
Non nominat illas JESUS, ut nominave-
rat Mariam, et tamen singulæ dicere
poterant: *Anima mea liquefacta est, u*
locutus est. (Cant., V, 6.)

Perpendamus quomodo Divinitas
ante abscondita, pergat tot miraculis se
prodere: *per angelos, per amotionem*
lapidis, per apparitionem factam Mag-
dalenæ, et jam *occurrendo* mulieribus
Consideremus etiam quot *modis* hacte-
nus Christus suos sit solatus et quo
formis. Apparuit B. M. Virgini forma
haud dubie magis gloriosa; postea quo
dammodo per *angelos;* deinde per mo
dum hortulani; nunc in forma alia
Vere dici potest quod esset *ludens i*
orbe terrarum, et ipse dicere potest

Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. (Prov., VIII, 31.) O quam bonus quamque suavis es, o mi JESU! Gratias tibi ago pro tanta bonitate, pro tanta suavitate, meque cum omni fiducia totum in sinum providentiæ tuæ conjicio.

5° *Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.* (Matth., XXVIII, 9.)

Quis verbis æquare posset *gaudium, reverentiam, dulcissimos affectus* mulierum ad Christi pedes provolutarum! Arcuerat paulo ante Magdalenam a pedibus suis; jam eam cum reliquis ad eorum osculum admittit. Non omne simul solatium præbet; differt quandoque; exhibet autem *perseverantibus*, sed hora qua sibi placet. Tuum est, o sacerdos, insistere bono; de tempore autem consolationis curam Deo remitte: non enim aberit a se desiderantibus.

6° *Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me videbunt.* (Ibid.)

Nonne hæc summam spirant verba suavitatem, tum ad mulieres, tum de

apostolis sui nuper desertoribus ? Quis jam desperet ? *Galilæam* designat Jesus ubi videatur, locum scilicet *quietum* et a tumultibus submotum. Hinc conclude, o sacerdos, te, si velis Deum tuum gustare, recedere debere a strepitu mundi, vanitatum, passionum tuarum.

CONSIDERATIO.

De persona sacerdotis.

Utile est sacerdoti identidem exquirere a semetipso quod Judæi exquirebant a S. Joanne Baptista : *Tu quis es ?*

I. *Tu quis es inter omnes creaturas* quibus constat hic universus ? *Homo* es. An vivis ut homo ? Videamus.

1° Fides nos docet *hominem* a Deo creatum esse, et proinde hominem esse opus divinæ *sapientiæ*, divinæ *potentiæ*, divinæ *caritatis*. Fides etiam nos docet hominem quidquid habet, id accepisse a Deo, Deumque illud ei conservare singulis momentis. Docet igitur fides Deum esse hominum creatorem, dominum, benefactorem et patrem. An practice agnoscis Deum ut talem ? An ejus revereris verbum, promissa atque minas ? An fideliter exsequeris Dei voluntatem ? An *gratum* te exhibes erga tuum

benefactorem? An non abuteris beneficiis Dei contra ipsum Deum? An confidenter et filialiter Deum tractas ut patrem?

2° Fides nos docet hominem creatum esse ad *imaginem Dei*. An hanc imaginem, quæ gloria tua est, non deturpasti? An huic imagini non substituisti *characterem* bestiæ?

3° Fides nos docet Deum, creando hominem, hominem fecisse suum *templum*. An non expulisti Deum ex templo suo? An illuc non introduxisti *idolum* aliquod quod adoras? An non fœdasti hoc templum cœno peccatorum?

4° Fides nos docet hominem in terris positum ad certum tempus, ut Deo suo serviat et sic salvet animam suam. Docet fides nihil esse justius, facilius, gloriosius, jucundius quam servire Deo. Deo enim servire regnare est. Quomodo servis Deo? An fideliter? an ex toto corde? an non forsan ignaviter, segniter, tepide? An non visus es malle inservire passionibus quam Deo?

5° Fides nos docet hominem a Deo creatum esse *rationabilem*, *spiritualem*, *immortalem*, *adspirantem* ad felicitatem perfectam atque æternam. An te exhibuisti *rationabilem*, in cogitationibus tuis? in judiciis? in interpretationibus? in affectibus cordis? in sermonibus? in factis? in re prospera? in re adversa?

An te exhibuisti *spiritualem?* An non te

vident homines veluti immersum in materia et in delectatione sensuum ?

An te exhibuisti *immortalem ?* An non ita loqueris, ita agis, quasi nihil curans nisi quod est in hac mortali vita ?

An te ostendis *anhelantem* ad veram felicitatem ? Ubi quæris felicitatem ? Forsan in rebus inanibus et vanis ? Forsan in satisfactione sensuum et passionum ? O sacerdos, oblivisci non potes non inveniri veram felicitatem nisi in fideli Dei famulatu.

II. *Tu quis es inter homines? Christianus* es. An ut Christianus vivis? Videamus.

1° Per *Baptismum* factus es *filius* Dei, et per os patrinorum renuntiasti Satanæ, ipsius vanitatibus, ipsius operibus, et te JESU inviolabiliter adhæsurum promisisti. An stetisti, o mi Frater, promissis? An non multoties in vita renuntiasti Christo et adhæsisti Satanæ, committendo peccatum et quærendo res vanas deliciasque mundanas?

2° Per *Confirmationem* factus es *miles* JESU. An fuisti miles fidelis et Regi tuo devotus ? Non turpiter deseruisti vexillum JESU et confugisti ad vexillum dæmonis ? Non conspirasti cum hostibus adversus JESUM ? Non erubuisti de Rege tuo ?

3° Ut Christianus, frater es JESU, cohæres JESU, hæres Dei. An habes similitudinem cum hoc Fratre tuo ? An habes ejus spiritum? ejus castitatem, obedientiam, caritatem

4° Ut Christianus, es *filius Ecclesiæ* et frater Sanctorum.

An hanc Matrem tuam revereris, amas, commendas, eique obedis? An habes fiduciam in suffragiis Sanctorum?

5° Ut Christianus, fortis esse debes et paratus omnium rerum jacturam facere, etiam vitæ, potius quam crimen inferre nomini tuo nobilissimo? Christianorum est fortia agere et pati ardua pro gloria Christi. An talis est tua mentis excelsitas?

III. *Tu quis es inter christianos? Sacerdos* es. An ut Sacerdos vivis? Videamus.

1° Sacerdos est *vir Dei*, et admirabili charactere quo insignitus est, et potestate quæ ipsi commissa est; tanta autem est hæc potestas ut non inveniatur vel in angelis, vel in Matre Dei. An te dignum exhibes tanta potestate, tanto ac tali charactere? An modo agendi et loquendi te ostendis *virum Dei?*

2° Sacerdos est vir cujus omnes functiones *sanctæ* sunt. Sacerdos enim sacrosancta mysteria fidelibus dispensat;... infantes Deo per baptismum consecrat;... baptizatos per pœnitentiam mundat;... mundatos vero Christi corpore pascit et Agni immaculati sanguine potat. Ipsum Agnum immaculatum in sacrosancto altaris sacrificio immolat;... Dei voluntatem populo annuntiat;... vota populi Deo offert, et, ut verbo

complectar omnia, quidquid in Ecclesia *augustum*, quidquid *sanctum* est, Sacerdotis opera aut exhibetur aut peragitur. Profecto talis homo debet esse sanctus in corpore, sanctus in anima, sanctus in omnibus. Vide, o sacerdos, an talis sis ; saltem omnes adhibe conatus ut talis sis.

3° Sacerdos est *Vicarius Jesu Christi*. Jam vero : « *Ubi sum ego*, inquit, *illic et minister meus erit ;* » id est, S. Augustino interprete, terrena omnia spernat ut ego, detestetur peccatum ut ego, ipsum destruat ut ego, eadem intentionis puritate agat quæ ego, eumdem sibi finem proponat quem ego ; et sanctus sit ut ego ; ut aliquando in gloria sit ipse mecum gloriosus. Vide o sacerdos, an huic JESU exspectationi respondeas.

4° Est vir *Dei beneficiis cumulatus*. Hunc Christus admisit cum apostolis in numerum *amicorum ; legati sui* titulo decoravit ; eum suo lumine replevit ; eum in sui ministerii societatem cooptavit ; nunc suo nomine insignivit : « *Nolite tangere christos meos.* » Merito exclamare potes, o sacerdos : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Utinam semper præsentia sint mentis sacerdotis hæc gravissima verba auctoris libri *De dignitate sacerdotali* (inter Opera

S. Ámbrosii), cap. 3 : « Nihil in hoc sæculo excellentius, nihil sublimius Sacerdotibus reperiri potest. Itaque digne noscamus quid simus, et quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstremus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, et crimen immane; ne sit honor sublimis, et vita deformis; ne sit deifica professio, et diabolica actio; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus provectus; ne sit gradus excelsus, et deformis excessus. »

EXAMEN.

Circa tertiam Beatitudinem.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

I. Hic *luctus* habet suos gradus.

1° *Beati* lugentes qui *adversitates* a Deo immissas aut permissas *patienter* tolerant. — Quo animo soleo adversitates tolerare?

2° *Beatiores* sunt qui *sua* et *aliena* peccata lugent et deflent. — An sincere lugeo peccata mea? An ex toto corde compatior fratribus meis quos scio versari in statu peccati?

3° *Beatissimi* sunt illi, qui præ dolore luctæ assiduæ quam cum carne et concupiscentia gerunt, præque desiderio cœlestis patriæ, ac præsertim præ amore Dei et Christi, quo perpetim frui summe exoptant,

lugent suum in hoc corpore et in terra *exsilium*. — An mea est hæc beatitudo?

O si frequentius de cœlesti patria cogitarem; si ardentius ad gaudia cœlestis patriæ anhelarem, copiosiores solidioresque profecto experirer consolationes.

II. An non mihi applicanda est hæc sancti viri objurgatio: « O vita mortua! de istis quæ non sunt lugenda, vel parum lugenda, homines graviter lugent, et graviter lugenda non lugent; etiam de ipsis rident. »

Lugeat *corruptus* amissionem virginalis integritatis.

Lugeat *malitiosus* amissionem pietatis.

Lugeat *tepidus* amissionem fervoris.

Lugeat *superbus* amissionem humilitatis.

Lugeat *iracundus* amissionem internæ tranquillitatis.

Lugeat *avarus* amissionem largitatis.

Lugeat *ebriosus* amissionem sobrietatis.

Lugeat *acediosus* amissionem spiritualis exercitationis.

Lugeat *invidus* amissionem caritatis.

RECOLLECTIO XX.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Jesu facta Magdalenæ.

1^um^ Præl. Videamus Magdalenam, Mariam Jacobi et Salome, profectas summo mane ad monumentum cum aromatibus, loquentes inter se de JESU.

2^um^ Præl. Petamus a Deo Patre gratiam quærendi diligenter et inveniendi Christum, ad exemplum sanctarum mulierum.

1° *Cui* post B. M. V. apparet primum JESUS redivivus? *Magdalenæ*, illi scilicet mulieri, quæ fuerat *in civitate peccatrix* et *ex qua Dominus septem dæmonia ejecerat.* — O sacerdos, qui infeliciter fuisti forsan peccator, et ex quo non unum ejicere debuit JESUS dæmonium, confide; ecce, si vis, potes adhuc primum occupare locum in corde JESU, si sincere et solide conversus, imitatus fueris amorem, fervorem et generositatem Magdalenæ.

2° Cæteris mulieribus abeuntibus, illa, quia præ cæteris amabat, hæret ad

sepulcrum, et hæret *plorans, quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum, et nesci ubi posuerunt eum.* (Joan., XX, 13) Causa lacrymarum est *amissus Jesus* Optima sane et vel una lacrymis digna Sed, o sacerdos, si flet illa, quod abstu lerunt *invitæ* et *ignoranti*, quid t agere decet, cui *scienti* et *volenti* tua passiones toties JESUM abstulerunt?

3° Maria *conversa est retrorsum, vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est.* (Joan., XX, 14.) Dum quæritur, JESUS adstat a tergo Mag dalenæ. Hinc intelligimus, non proc esse JESUM ab eis qui eum quærun ex toto corde. Sed quare, o Domin dissimulas præsentiam tuam Magda lenæ? Sane ut præbeas fideli tuæ a cillæ occasionem majora dandi argu menta sui desiderii suique amoris. S non raro, licet præsens, abscondis nobis, ut probes nos et majus excit in corde nostro desiderium te viden *Occultat se*, ait S. Bernardus, *ut arde tius requiratur, et requisitus cum gau dio inveniatur, cum sollicitudine tene tur nec dimittatur.* Respiciamus erg

post tergum, id est, ad *exitum* afflictionum nostrarum, et ibi sine dubio videbimus Deum.

4° *Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras ? Quem quæris ? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum ; et ego eum tollam.* (Joan., XX, 15.)

O Magdalene, quid dicis? Tanta est vis amoris tui ut quid loquaris vix advertas ! *Dominum* vocas hominem vili hortulani veste indutum ! Addis : *Si sustulisti eum ; quem,* quæso, designas ? Non exprimis, quasi obvius quisque tuum affectum intelligat. Deinde, novisti quis fuerit Judæorum furor, et ais *te eum ablaturam !* O quam *animosam,* quam *audacem* te reddit amor tuus ! Quam longe, eheu ! absum ab his sanctis amoris tui deliramentis !

5° *Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni.* (Joan., XX, 16.)

Uno Christi verbo, *Maria,* altero Mariæ, *Rabboni,* magni affectus, ait pius scriptor, clauduntur : in *Christo benignitatis... suavitatis... affabilita-*

tis... familiaritatis; in Maria ver *reverentiæ... humilitatis... adoratu nis... amoris... gaudii.* Ille ex u verbo noscitur; illa ex uno verbo eum nosse significat. Ita Deus pauc verbis multa homini, ita homo pauc verbis multa Deo loquitur. — Ecc o mi Jesu, unica vox tua subito dete sit Magdalenæ omnes lacrymas, omne dolorem. O quam bonus es et pote ad consolandos eos, qui, ut Magdalen te sincero et ardenti prosequunt amore.

6° Maria quidquid voluit, flen obtinuit: flendo obtinuit consolati nem de resurrectione. Unde jam nil sapiebat Maria *nisi diligere* et *pro di cto dolere*. Oblita erat timoris, obli erat denique rerum omnium præt illum quem diligebat super omnia. Se sus nullus in ea remanserat, om consilium ab ea perierat, spes om defecerat, *solummodo flere superer* Sentiens non sentiebat; videns n videbat; audiens non audiebat; s neque ubi erat, ibi erat, quia tota erat, ubi Magister suus erat, de q

tamen ubi esset nesciebat. Quærebat autem et non inveniebat; et ideo *stabat ad monumentum*, et *plorabat*, tota lacrymabilis et miserabilis. Sed, o *mutatio dexteræ Excelsi*, conversus est dolor magnus in gaudium magnum, mutatæ sunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris et exsultationis. Videsis Origenem.

Sequamur ergo hujus sanctæ mulieris *affectum*, ut perveniamus ad *effectum*. Ploret unusquisque ad JESUM, et quærat fideliter JESUM, qui nunquam deest, sed *bonus est animæ quærenti illum*. Disce, o sacerdos, a Maria JESUM amare, et JESUM sperare, et JESUM indesinenter quærere, et quærendo investigare, nulla adversa formidare, nullam consolationem extra JESUM recipere, et omnia præter ipsum contemnere.

CONSIDERATIO.

De praxi sacri secessus.

Minime dubitandum est quin omnes sacerdotes, hoc nomine digni, libenti animo singulis annis sacri secessus solitudinem ingrediantur. Multoties enim experti sunt in exercitiis spiritualibus inveniri multa

emolumenta quibus juvatur bonus sacerdos ad rite, sancte et fructuose obeunda sublimia et simul formidanda munera suæ sanctæ vocationis. Suppeditant hæc exercitia unde *reparemus præterita, consolidemus præsentia* et etiam *prospiciamus futura.*

Sed nullo forsan tempore quam nostro hæc exercitia fuerunt magis *opportuna* immo et *necessaria.* Quare ? Propter triplicem rationem. Prima est quod nobis sacerdotibus colluctandum est cum adversarii qui sunt *numero* et *astutia* et *malitia* terribiliores quam qui unquam exstiterunt. Nullus est nostrum qui non videat ingens bellum nunc moveri adversus religionem nostram sanctam, et adversus Ecclesiam, Christi sponsam ! Olim *corpora* et *bona* Christianorum invadebantur; postea successive vexati fuerunt Fideles circa unum alterumve dogma fidei, vel circa unum alterumve punctum catholicæ disciplinæ : nunc *totum* systema fidei catholicæ impetitur ; ipsa *principia* et fundamenta religionis impugnantur; *Ecclesiæ auctoritatem* funditus everti tere conantur adversarii ; et id quidem faciunt ea *vehementia*, ea *dexteritate*, ea *constantia*, ut bellum istud duci videatur, non ab hominibus, sed ab ipsis dæmonibus.

In hoc bello nos, sacerdotes, *vocatione* et *officio*, defensores sumus veritatis, religionis et Ecclesiæ. Ergo omnino necessa

rium est ut unusquisque nostrum ea omnia sibi comparet quibus hostes superare valeat. Jam vero, quibusnam rebus, in certamine quocumque, superari solet hostis? Tribus, ni fallor; pugnantium scilicet *ardore*, *constantia* et *fidelitate*. *Ardore*, quia quo major est ardor, eo vividior est actio; *constantia*, quia non primus impetus tribuit victoriam, sed ultimus: ergo pugnandum est usque ad finem; *fidelitate*, quia omnia pendent ab ea; et juxta legem militarem ita fidelis esse debet miles, ut dispositus sit mori potius quam deserere stationem in qua constitutus est.

Sed in exercitiis spiritualibus, si rite obeantur, vehementer accendimur, constantiores reddimur, et majorem acquirimus fidelitatem, ita ut velimus esse fideles etiam in minimis.

Prima igitur ratio particularis suscipiendi Exercitia cum magno fervore, est quod sunt *optima præparatio ad præliandum fortiter præsentia prælia Domini.*

Altera ratio est quod, licet præsentia tempora Ecclesiæ infensa videantur quam maxime, judicium tamen multorum est parari Ecclesiæ extraordinarium triumphum. Quid dico parari? Jam incipere dici potest. Nonne enim Ecclesiæ triumphus est illa admirabilis Sanctæ Sedis conservatio in medio tot adversariorum circum fremen-

tium? Nonne triumphus est Ecclesiæ ill ad Urbem concursus fere omnium populo rum? Nonne triumphus est Ecclesiæ in victus Summi Pontificis animus, qui, to lacessitus calamitatibus, tot ac tantarun rerum sollicitudine oppressus, etiam adver sariorum admirationem excitavit? Nonn Ecclesiæ triumphus est, stupenda illa au ctoritas moralis quam,invitis inferni conati bus, Summus Pontifex exercet in omne populos et in principes potentissimos cæte rum Ecclesiæ adversarios? Nonne trium phus est Ecclesiæ ea quæ admirabili operatur cœlestis nostra Bellatrix, Beatissi ma Virgo Maria, in Gallia, in Belgio et i aliis regionibus multis? Nonne possumu merito hæc Beatissimæ Virginis certissim et innumera miracula considerare ut splen didum quoddam præludium ad instanter triumphum? Qui dedit *incipere* Deus, dabi et *perficere.*

Nostro igitur judicio instat tempus qu plenissime triumphatura est Ecclesia d omnibus suis hostibus; et dubium esse no potest quin, dato hoc triumpho, amplissi mus aperiendus sit campus zelo nostr apostolico. Messis ergo paratur multa, sec ut semper, operarii pauci. Desiderandur est sane ut *hi pauci, fervore* et *actione*, æqu valeant *magno numero;* ad quod nihil aptiu est quam bene vacare Exercitiis secessu

Etenim tria efficere solent *operarium* strenuum in vinea Domini, *sanctitas*, *doctrina*, *dexteritas:* sanctitas, non qualiscumque, sed *apostolica ;* doctrina, non humana, sed *divina ;* dexteritas, non politica, sed *evangelica.*

Exercitia sunt schola sacra, in qua principia harum rerum traduntur. In hac schola formatus fuit sanctus Franciscus Xaverius ; sanctus Carolus Borromæus ; sanctus Franciscus Salesius ; sanctus Vincentius a Paulo, et quotquot modernis temporibus excelluerunt in apostolatu. Omnes nos apostolos esse, immo et excellere in apostolatu oportet. Utendum est igitur divino *remedio* quod nobis protendit Deus ad tollenda omnia *impedimenta*, propter quæ forsan zelus noster fuit plus minus constrictus. Et hæc *ablatio impedimentorum* tertia ratio est propter quam libenter suscipere debemus hæc sancta Exercitia.

Quid enim nos impedivit hucusque quominus essemus quod volebamus? Apud omnes generatim est optima voluntas. Attamen nullus est ex nobis qui non sincere confiteatur, se non esse talem qualis esse deberet. Ingemiscimus omnes, omnes pectus nostrum percutimus, et quidem merito ; omnes enim in multis deficimus. Et unde defectiones nostræ? Deficimus 1° ex naturali quadam corporis et mentis defatigatione, quæ facile nos invadit post diuturnum labo-

rem, post multas sollicitudines, post multa pugnas adversus passiones nostras et ten tationes. Deficimus 2° ex defectu considera tionis. Dicit enim sacra Scriptura : *Desola tione desolata est terra, quia nullus est qu recogitet corde.* Deficimus 3° ex debilitat orationis qua petimus a Deo auxilium qu indigemus.

Atqui in Exercitiis spiritualibus reparan tur vires,spiritus roboratur et sancta fruimu quiete, dicente Domino : *Venite seorsum i desertum locum, et requiescite pusillum* (Marc., VI, 31.)

In Exercitiis recogitamus multa, recogi tamus magna, et recogitamus hæc *cordi* scilicet *serio* ; recogitamus *æternas veritate*.

In Exercitiis nascuntur desideria magna propter hæc desideria imploramus Deum *ferventer* et *humiliter*,et oratio nostra nube penetrat.

Propterea audacter pronuntiamus tempu Exercitiorum esse *tempus miraculorum* Multi in cœlo nunc sunt, qui nunquam a cœlum pervenissent, nisi gratia boni seces sus bene usi fuissent. Multi ministri De post vitam tepidam, subito ferventes fact sunt et sancti per Exercitia, et in suo fe vore perseveraverunt.

Quapropter assuescamus,quotquot sumu sacerdotes, quotannis hoc negotium tan momenti peragere cum animo *generos*

forti et *fiduciali*. Cum animo *generoso*, nos totos tradendo divinæ voluntati, ut faciat de nobis quidquid illi placuerit ; cum animo *forti*, ut superemus omnes occurrentes difficultates quas solet suscitare diabolus; animo *fiduciali*, quia « *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum.* » (II Paralip., XXX, 18 et 19.)

EXAMEN.

Circa quartam Beatitudinem.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Communis interpretatio est de esurie et siti, id est *ardenti desiderio*, consequendæ justitiæ, nempe *virtutis* et *sanctitatis*. Per *justitiam* intelligitur *omnis Deo serviendi et placendi ratio*.

Atqui esuries et sitis justitiæ perficitur his actibus : 1° ut, sicut *famelicus* et *sitiens nullum* cibum aut potum detrectat, ita hic nullus actus virtutis declinetur, quantumvis *amarus* et *sensualitati repugnans* videatur.— Nonne ego forsan feror ardenti quidem desiderio in actus virtutum qui aliquid honoris habent adjunctum, nullatenus vero in eos qui videntur *abjecti* et *viles*, vel *difficiles* et *ardui* ?

2° Ut famelicus et sitiens in ordine corporali majore *gustu* comedit et bibit, ita in

ordine spirituali operatur majore *consola*
tione interna. — Num experior quandoqu
hanc internam consolationem ? An non me
culpa omni spirituali solamine careo? Nonn
hoc inde oritur, quia vix quidquam desider
virtutum est in meo corde ?

3° Ut sitienti et esurienti in ordine cor
porali melius in substantiam convertitu
potus et cibus, ita in ordine spirituali i
majorem convertitur gratiam et gloriam. —
An non mihi propter tepiditatem procrea
angustias stomachus nauseabundus ?

4° An, sicuti Christo, mihi cibus est u
faciam *voluntatem* Patris mei qui in cœli
est ? An ita esurio hanc Dei voluntatem u
unice in omnibus eam intendam ?

5° An non mihi aliquis merito applicar
posset quod Dominus dixit de iis qui s
hujus mundi oblectamentis satiant: *V*
vobis qui saturati estis, quia esurietis, u
ille epulo qui guttam aquæ frustra petebat

RECOLLECTIO XXI.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Christi facta S. Petro.

1um Præl. Intueamur Petrum ante JESUM sibi benigne apparentem profusis lacrymis humiliter prostratum et ineffabili consolatione exsultantem.

2um Præl. Petamus a JESU ut dignetur nos etiam identidem recreare sua dulcissima præsentia et interna locutione.

Hæc contemplatio singulariter consolari solet sacerdotes qui, aliquando peccatores, se totos, ut Petrus, ad Christum converterunt. Intelligere enim facit quam suavis sit Dominus quærentibus se et toto corde diligentibus. Attenta mente singula fere verba, quibus Evangelistæ hanc exprimunt apparitionem, perpendamus, et sine labore multiplex se nobis offeret fructus colligendus.

1. *Dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam.* (Marc., XVI, 7.) Exprimi nominatim Petrum, sine

dubio argumentum est tenerioris affectus. Admiremur delicatissimam Christi rationem agendi erga Petrum. Petrus cæterorum caput est ; hoc honorat Christus. Amaverat plus cæteris JESUM, et inde plus cæteris dolebat, propterea præ cæteris Petrum consolari vult JESUS. Non cessabat Petrus suum peccatum deflere ; erigit JESUS mœstum amoris demonstratione. — O sacerdos, agnosce stupendam JESU bonitatem, ama eam, et in ea spem tuam repone. Non dimittet te, etiam si ex fragilitate peccaveris.

2. *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista : et non crediderunt illis.* (Luc., XXIV, 11.)

Quæ igitur retulerunt sanctæ mulieres de resurrectione JESU, visa sunt apostolis sicut *deliramenta ; vera* tamen referebant. Duo nos extrema fugiamus; ne scilicet *nimis faciles* simus ad credendum, nec *nimis difficiles.* Prudentis est omnia *examinare* etiam quæ a simplicioribus dicuntur ; *est* enim Dei *cum simplicibus sermocinatio.* (Prov., III, 32.)

3. *Venit* Magdalena *ad Simonem*

Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. (Joan., XX, 2.)

Quare ivit Magdalena ad Petrum et ad Joannem, non autem ad alios discipulos ? Nonne quia intellexerat Petrum et Joannem singulariter a JESU dilectos, eosque præ cæteris JESUM, dum vivebat, amore prosecutos ? Nonne etiam quia experta fuerat discipulos pro *deliramentis* habuisse, quæ ipsa *omnino vera esse* sciebat ? Hinc discamus animas ad nos attrahere, ut eas sanctificare valeamus, non quidem industriis *mere humanis*, sed *ardente erga Christum amore*, necnon evangelicæ *prudentiæ* et *discretionis* vere sacerdotalis exhibitione. Nullus sacerdos multum proderit animabus sibi commissis, nisi earum sibi vindicaverit *filialem fiduciam*. Permagni igitur momenti est, o sacerdos, in tuo sancto ministerio *cavere* a quovis verbo, a quovis gestu, a re quacumque, quæ tuam apud alios minuere posset existimationem.

4. *Et dicit illis: Tulerunt Dominum*

de monumento, et nescimus ubi posue-runt eum. (Joan., XX, 2.)

Non dixerat Angelus : *tulerunt*, sed *surrexit*. Sane mentiri noluit Magdalena, sed *impetus amoris* simul et *doloris* fecit ut non accurate attenderet. — Etiam bonis affectibus, non secus ac ventis, ponendum est pondus, nam cum *rationem turbent*, facile in errorem trahunt.

5. *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.* (Joan., XX, 3.)

Non retinentur aliorum non credentium exemplo. Non quid agant alii, sed quid prudenter agendum sit attendunt. Volunt igitur nuntii a mulieribus accepti experiri veritatem. Hanc rationem agendi prudentissimam per omnia sequamur, ita ut *in omni re dubia* quæ aliquid habere momenti videatur, seria *dubium* discutiamus et ad *dubitationem* deponendam perveniamus.

6. *Currebant autem duo simul.* (Joan., XX, 4.)

Amor eos incitabat ad cursum. *Amor* nescit tarda molimina, non secus ac

Spiritus sancti *gratia*. Qui amat divina, dixit aliquis, volat ad illa. Currisne sic, o sacerdos, an serpis ? Vis cessare a serpendo ? Ama, et *tantum* procedes *quantum* amabis.

Petrus nihil segniter facit, et semper *promptus* est et *diligens* ad vocem Domini, sive Dominus loquatur per se, sive per alios. Ecce bis tantum *surdastrum* se ostendit ; prima vice cum prædicat Jesus amorem *crucis ferendæ*, et altera vice cum *orare* debuisset et *vigilare* in Horto. Non sane habuit unde sibi gratularetur de sua voluntaria surditate. — Juxta consilium sancti Ignatii, frequenter petamus a Domino *ne simus surdi* ad ejus vocationem, sed *prompti* et *diligentes* ad explendam ejus sanctissimam voluntatem.

Non potest Petrus non cogitare *de triplici negatione*, et *timere* debebat ne repelleretur ab illo quem tam ignaviter negaverat se nosse ; sed feliciter timorem superat amor. — Timeamus et nos Dominum propter nostra delicta, sed ita timeamus ut *nunquam* timor amorem minuere valeat.

7. *Et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum..., non tamen introivit* (Joan. XX, 4 et 5.)

Joannes, ait S. Hieronymus (in cap. LVI, Isai.), *elatus virginitatis alis* præcucurrit; quia plurimum hæc virtus recedit a carne, plurimum accedit ad Deum. — Virgines simus, et mente, et corde, et corpore, et citius curremus per vias Domini.

Joannes non intrat prior in monumentum; honorat enim in Petro dignitatem capitis, nec considerat in eo quod Christum negaverit, ipse autem ad crucem constiterit. Discamus quid debeamus Superioribus nostris, licet imperfectis.

8. *Simon Petrus... introivit in monumentum.* (Joan., XX, 6.)

Intravit audacter in sepulcrum, et ibi non invenit quod quærebat, JESUM scilicet gloriosum : invenit tantum *linteamina*. Non tamen desistit, sed considerat, examinat, cogitat ; *abiit secum mirans quod factum fuerat*. (Luc. XXIV, 12.) Discedit Petrus a Joanne

solus secum meditaturus quæ vidit. Optima certe hæc est dispositio ad videndum Deum divinaque cognoscenda, *recedere* etiam *corpore*, multo magis *affectu*, a creaturis. Solitudinem amat Deus. « *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* » (Osee, II, 14.)

9. *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.* (Luc., XXIV, 34.)

Apparuit JESUS, *non Joanni*, qui constans ad crucem permansit, *sed Petro*, qui fugerat et negaverat. Ita animat Deus peccatores *pœnitentes*, ut non animis dejiciantur, ostenditque simul quanti æstimet lacrymas cordis contriti et humiliati.

Conspiciamus jam Christum apparentem Petro. Quid sentit Petrus, quid facit Petrus? Se illico projicit ad pedes JESU lacrymabundus, volens se accusare; sed JESUS benigne eum amplectitur, blandissimis verbis consolatur, jubet eum habere fiduciam, nec minimam infert mentionem sceleris admissi. Quis non miretur hunc JESU erga Petrum amorem delicatissimum, prævenientem, prudentem, industriosum? Quis

post hæc desperet? O mi Jesu, lice
maximus sim peccator, me totum pro
jicio in Cor tuum; est enim Cor tuur
mihi oceanus infiniti amoris, infinita
misericordiæ. *In pace in idipsum dor
miam et requiescam.* (Ps. IV, 9.)

EXAMEN.

Circa quintam Beatitudinem.

*Beati misericordes, quoniam ipsi miserico
diam consequentur.* (Matth., V, 7.)

« Nihil tam commendat christianam an
mam, quam misericordia. » (S. Ambr. c
Officiis, lib. I, cap. XI.)

Non sine ingenti fructu examinabit s
sacerdos

1° Circa *materiam* misericordiæ;

2° Circa *modum;*

3° Circa *motivum;*

I. Circa *materiam.*

1° Commemorabit Dominus, in ultin
Judicio, sex opera misericordiæ *ad corp*
pertinentia, in se capite et in membris su
propter ipsum facta, quæ sunt:

Pascere esurientem;

Potare sitientem;

Collocare hospitem;

Vestire nudum;

Visitare infirmum;

Consolari vinculatum. — Quibus addere possumus septimum :

Sepelire mortuos, juxta cap. II Tobiæ.

An ista opera misericordiæ mihi familiaria sunt ?

2° Licet eadem opera misericordiæ exercere in sensu spirituali, ita ut jam *ad animas* proximorum spectent. Nimirum :

Esurientem et sitientem *justitiam*, *pane* verbi Dei reficere et *potu sapientiæ* refrigerare ;

Errantem per hæresim et per peccatum, in domum matris Ecclesiæ Dei revocare ;

Innocentem a malis protegere ;

Nudum a bono opere, virtutibus ornare ;

Infirmum in fide, corroborare ;

Tribulato vel carceris tristitia oppresso, subvenire compatiendo vel consolando.

An et hæc mihi familiaria sunt ?

3° Si miseros juvare non possis *opere* aut *verbo*, potes tamen eos juvare, pro eis *orando*, pro eis *patiendo* quæ pateris, pro eis te vel in minimis *mortificando*.

An id feci ?

4° Juxta Hugonem cardinalem (in cap. v. Matth.), triplex est hominis misericordia: propria, fraterna, paterna. *Propria* est hominis ad seipsum, per *contritionem ; fraterna*, est fratris ad proximum per *compassionem ; paterna*, est patris ad filium per *correctionem*.

An frequenter exerceo hanc misericor diam erga *memetipsum*, sincere de peccati meis dolendo ?

An indulgere soleo compassionis affe ctui dum video miserias proximi ?

An subditorum errores corrigo fidelite videndo ad quæ mala errores isti, ni corri gantur tempestive, eos abducturi sint ?

II. Circa *modum*.

1° An facio misericordiam, sive corpora lem, sive spiritualem, *liberaliter* quidem, se *circumspecte*, habita ratione circumstantia rum loci, temporis, personæ, necessitatis ?

2° An ita *amicis* me misericordem exhi beo, ut non minus *inimicis*, atque etiam *ingratis*, sine acceptione personarum, *u Deus pluit super bonos et malos, et solen suum oriri facit super justos et injustos*

3° An libenter... hilariter... *celeriter*.. tacite potius quam palam... cavens tame ut nec parcitate ad avaritiam, nec nimietat ad profusionem declinem... ac deniqu beneficiorum memoriam non refricans, se libenter oblivioni tradens ?

III. Circa *motivum*.

Quo motivo nititur mea misericordia An forsan motivo *carnalitatis ?* An sp *lucri* et *gratiæ humanæ ?*

Utinam nitatur triplici hoc motivo quo suggerit fides, nempe

1° *Exemplo Christi*, qui, ut miseris succu

reret, *de cœlo descendit* et *pertransiit benefaciendo* et *sanando* omnes *oppressos a diabolo, et oravit pro crucifixoribus suis ;*

2° *Spe laudis* consequendæ in ultimo judicio ex ore JESU, qui coram toto mundo exaltaturum se dixit omnia et singula opera misericordiæ ;

3° *Promissione* facta viris misericordiæ : *Quoniam misericordiam consequentur*, juxta illud : *Dimittite*, et dimittetur vobis ; *date*, et dabitur vobis, et remetietur *mensura* omnino *plena*, et *conferta*, *et coagitata*, non tantum in altera vita, sed etiam sæpe in hac. Et quantillum est, si *levem* injuriam proximo dimittis, ut Deus tibi dimittat gravissimam ; si pauxillum æris eroges in pauperem, aliquid opis in egenum, ut subsidia maxima, ut regnum cœlorum recipias!

In hunc sensum pulchre scripsit S. Antonius a Padua : « Tria facit misericordia : purificat a vitiis ; locupletat charismatum divitiis ; accumulat cœlestium gaudiorum deliciis. »

Immo dixit aliquis antiquus scriptor : « Ante fores gehennæ stat Misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti, qui misericordiam fecerit. »

RECOLLECTIO XXII.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Christi discipulis Emmaüs

1um Præl. In memoriam revocemus quomodo Dominus apparuerit duobus Discipulis euntibus in Emmaüs et de se loquentibus, et quomodo in fractione panis evanuerit ex oculis eorum, et illi statim Jerusalem reversi narraverint omnia apostolis.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam *cognoscendi* magis ac magis JESUM ardentius in dies eum *amandi*, eumque aliis cum magno zelo *annuntiandi*.

Mysterium, quod contemplandum assuminus, multiplicia offert Sacerdoti vitæ spiritualis documenta, *utilissima* simul ac *jucundissima*. Quapropter attenta mente consideremus quæ facta ac dicta sunt, tum *in via*; tum in *castello*.

1um PUNCTUM. — **In via.**

Ipsa Resurrectionis die, sub vesperam, duo ex discipulis, audita mulierum

de visis Angelis et Domini Resurrectione, nec non Petri et Joannis de Sepulcro vacuo relatione, ex tædio et solatii causa, ibant in castellum vicinum, nomine Emmaus.

1° *Tristes* erant, et tristitia eorum oriebatur ex *defectu spei ;* dicebant enim : *Nos autem sperabamus redemptionem Israel et resurrectionem*, indicantes se quasi *spe* illa excidisse. — Sic in nobis *defectus spei* sæpe causa est *desolationis* et *tristitiæ*. Caveamus nobis ab illo *spei defectu*, ne forte occupet nos quoque *tristitia* et *desolatio*. Frequenter igitur excitemus *actus spei*, quibus sacra Scriptura et Psalmi pleni sunt ; dicamus Deo : *Lætentur omnes qui sperant in te.* (Ps. v, 12.)

2° Constituti in desolatione, *loquuntur* tamen de iis quæ de Christo audiverant et viderant. Nos vero in desolatione sæpe vanos sermones amamus, ut dici possit de nobis : *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* (II Tim., iv, 4.)

3° Christus se eis adjunxit socium itineris *sub specie peregrini*. Latebat

quidem Divinitas sub hac specie pere-
grini ; ingens tamen erat *miraculum*
quod post mortem Christus redivivus
pro arbitrio suo, quocumque *modo*
quocumque vellet *loco*, se sisteret. —
Hæc est *libertas* filiorum Dei, quæ post
mortem eos manet. Consolemur igitur
nos certa spe similis *libertatis*, quam
certissime consequemur, si hic propter
Christum *nostra nos libertate exuerimus*.
« *Suscipe, Domine, universam liberta-*
tem meam: Accipe memoriam, intellec-
tum atque voluntatem omnem. Quidquid
habeo, vel possideo, mihi largitus es : id
tibi totum restituo, ac tuæ prorsus vo-
luntati trado gubernandum. Amorem
tui solum cum gratia tua mihi dones; et
dives sum satis. (S. Ign., Lib. Exerc.

4° Consideremus *quare* Christus se
illis Discipulis ostenderit : nimirum ut
tamquam *bonus Pastor* oves *errantes* et
dubitantes corrigeret ; deinde ut *afflicti*
solatium afferret ; denique ut significa-
caret quam gratum sibi esset eos de
ipsius Passione et morte instituere
colloquium. Dixerat enim aliquando :
Ubi sunt duo vel tres congregati in no-

mine meo, ibi sum in medio eorum. (Matth., XVIII, 20.) — Hinc concludet pius sacerdos: *a*) Se fidere debere bonitati sui benignissimi Pastoris in omnibus suis tentationibus atque anxietatibus; *b*) se etiam esse debere *bonum pastorem* ovibus suis, *errantes* corrigendo, consolando *afflictos*; *c*) *praxi colloquiorum spiritualium* se sibi JESUM reddere debere familiarem.

5° Admiremur *modum* quo Christus se iis insinuavit. *a*) Blande interrogat eos: *Qui sunt hi sermones... et estis tristes?*

b) Deinde audita eorum diffidentia et incredulitate, zelose eos reprehendit, dicens: *O stulti et tardi corde ad credendum!* Gravis sane reprehensio est, sed nulla indignatio. — Hinc docemur quod nonnunquam *errantes redarguendi severius*, ut reducantur in viam salutis. *Argue, obsecra*, ait Apostolus. (II Tim., IV, 2.) — *Stultos* vocat, non pro convicio, sed pro officio caritatis. — *Tardos* vocat ad *credendum*, quia non crediderunt ipsam Christi mortem esse *redemptionis medium*, et quia te-

stimonio sanctarum mulierum fidem addere noluerunt.

c) Eos docet et instruit quod oportuerit *Christum pati* et *ita intrare in gloriam suam.* Et re quidem vera *oportuit* Christum pati ob *necessitatem* satisfaciendi... ob *utilitatem* redemptionis... ob *vim* sui in nos amoris... ob *exemplum* imitationis. *Gloria* autem in quam intrare debebat JESUS tot a tanta patiendo, est gloria Resurrectionis a morte, gloria Ascensionis in cœlum, gloria exaltationis super omnem creaturam, gloria Nominis quod esse super omne nomen, gloria denique Regni æterni. Idque tam efficacite illos docuit JESUS, ut postea fassi sin arsisse cor suum *dum loqueretur in vi* et aperiret eis Scripturas. — Utinam o mi JESU, ita me intus digneris allo qui, ut et ego alios valeam accender in tui amorem!

6° Discipuli avidissime audieban Christum, et toti pendebant ex or ipsius. *Singulariter delectabantur* ill Scripturarum interpretatione JESU. — Sic Deus consolatur nos vel per *Scr*

pturas, vel *alios libros pios*, vel per *inspirationes interiores*. Agamus Deo gratias pro tot modis nos consolandi in hac vita. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* (Ps. CXVIII, 103.)

II^um^ PUNCTUM. — **In castello.**

1° Castello, quo ibant, appropinquantibus, fingit se JESUS longius ire, ut scilicet *occasionem* eis præberet exercendi bospitalitatem, seque amanter invitandi; immo se aliquo modo *cogi* sinit. — Sic solet divina Providentia multa permittere et ordinare ut nobis occasio sit multas exercendi virtutes, etiam in *gradu heroico*. Faxit Deus ut tales occasiones vere aureas nunquam prætermittamus!

2° Illi igitur, edocti in schola JESU caritatem, ignotum invitant ad hospicium, et ad id accipiendum aliquo modo *cogunt*, dicentes: *Quoniam advesperascit et inclinata est jam dies*. Et tandem libens ingreditur et recumbit cum illis. — Vult Deus, o Sacerdos, tibi conferre gratias, sed vult *desideriis rogari*. Roga

ergo JESUM ut ad te divertat et ut apud te maneat. O certe pro te *advesperascit*, cum quotidie, propius ad mortem accedis. Quanto cum fructu diceres JESU, in actione gratiarum : *Mane*, Domine, *mecum ;* ecce *inclinata jam est dies ;* forsan hæc dies ultima vitæ est ; propterea rogo te ut ne pro momento quidem a me discedas.

3° *Et intravit cum illis.* Quæ felicitas habere hospitem Dominum ! Quantum putas eum honorifice exceperint, et quidem adhuc ignotum. Credere licet eum prima sede locatum, eidem sollicite ministratum. Ego te, mi JESU, quotidie habeo, hospitem, non ignotum, sed bene *agnitum* innumeris beneficiis mihi collatis ; et tamen quam parce, quam distracte, quam frigide te excipio, te tracto ! Utinam quotidie, in *fractione* panis, magis mei aperiantur oculi, ut melius te cognoscam, ut ardentius te amem !

4° *Cognoverunt eum* in fractione panis... *et ipse evanuit ex oculis eorum.* (Luc., XXIV.)

Si consideremus, ait aliquis pius

auctor, totum hoc mysterium, possumus Christo dicere: *Tu es Deus absconditus.* (Is., XLV, 15.) Nam antea abscondit se sub specie *hortulani*, nunc sub specie *peregrini*, atque etiam sub specie *panis* juxta S. Patres qui censent ipsum hic *consecrasse;* et denique evanuit totumque se abscondit ab oculis eorum. Nonne hæc fiunt etiam in *communione?* Prostrati igitur ante venerabile Sacramentum, summo cum affectu dicamus: *Adoro te devote, latens Deitas, quæ sub his figuris vere latitas.*

5° Quare, Domine, in hac circumstantia abscondisti tuam Divinitatem, immo aliquo modo tuam humanitatem? Nonne quia nisi tu, tot signis et miraculis te prodens, Divinitatis tuæ fulgorem sic temperasses, mortales Discipulorum oculi non potuissent in lucem illam inaccessibilem intendere? Accessum ad illam lucem reservas nobis post hanc mortalem vitam. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* (I Cor., XIII, 12.) Utique, o mi JESU, credo ac spero hanc vitam æternam. *Quam dilecta tabernacula tua,*

Domine virtutum! (Ps. LXXXIII, 2.

6° Discipuli, miraculo attoniti e solatio pleni, revertuntur Jerusalem et undecim apostolis aliisque discipulis congregatis narrant omnia, quæ gesta erant in via et quomodo cognoverant eum in fractione panis. Et ab eis vicissim audiunt *surrexisse Dominum* et eum apparuisse *Simoni*. Sic et nos quæ a Deo accepimus, ad gloriam ejus aliis communicemus, et ab aliis vicissim accipiamus cum simplicitate et modestia, et cum purissima intentione *Omnia ad majorem Dei gloriam* aiebat S. Ignatius.

CONSIDERATIO.

De cicatricibus Vulnerum Christi.

Non sine fructu considerabit sacerdos *cur* Dominus JESUS voluerit vestigia passionis suæ, scilicet *cicatrices vulnerum* in corpore suo, licet incorruptibili, servare nempe propter varias causas.

1° *Ad astruendam et probandam resurrectionem*, nec non ad *reformandam et corroborandam discipulorum fidem*, de sua resurrectione dubiam, et crederent ipsum qui crucifixus fuerat, in eodem corpore

resurrexisse. In eo enim quod vulnera ostendebat, manifestabat *eumdem* resurrexisse qui in cruce pependisset, concisus et confossus. Propterea dixit discipulis: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* (Luc., XXIV, 39.) Osculantes igitur vulnera JESU, dicamus cum S. Thoma: *Dominus meus et Deus meus!* Tu es *Dominus meus*, secundum humanitatem, in qua me sanguine tuo redemisti, et *Deus meus*, secundum divinitatem, qua me creasti; jam nihil dubito, certus sum, confirmo resurrectionem, prædico immortalitatem. O quanto jure idem exclamares, o sacerdos, quoties eum Dominum in altari præ manibus et oculis tuis habes! Eo beatior Thoma, quod non ideo credis eum præsentem esse, quasi oculis corporeis videres, sed quia Dei verbum, cui humillime te submittis, revelavit.

2° *Ad commendandam suam circa nos dilectionem.* Ostensis suæ mortis indiciis, insinuat quam misericorditer simus adjuti, nosque ad dilectionem rependendam magis provocat. Sint igitur nobis vulnera JESU incitamenta amoris, ut ex eorum aspectu nos vicissim excitemur ad Eum amandum et ad Ei ferventius serviendum, intuentes quæ et quanta pro nobis Ille fecerit ac pertulerit.

3° *Ad ostendendam nostram redemptionem.* Illa enim vulnera fuerunt nostræ redemptio-

nis *signum*, dicente propheta: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.* (Is., LIII, 5.) Quotiescumque igitur vulnera JESU intuemur, dicamus ex toto corde: *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus!*

4° *Propter nostram ædificationem et instructionem.* Si enim in corpore Christi glorioso etiam manent signa Ejus passionis, et nos eadem vulnera quasi compatiendo jugiter in mente portare et pro eis gratias agere debemus; unde Apostolus: *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* (Philipp., II, 5.) Assuescat igitur Sacerdos vulnera JESU, in imagine crucifixi repræsentata, pio amoris affectu osculari, ut identidem *hauriat in gaudio aquas in vitam æternam salientes de fontibus Salvatoris.* (Cf. Is., XII, 3.)

5° *Ad nostri recordationem et memoriam apud se semper retinendam.* Nequaquam enim obliviscitur nostri, pro quibus sic crudeliter plagatus dignoscitur. *Ego non obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsi te.* (Is., XLIX, 15, 16.) Ergo, o JESU, vulnera tua conservare voluisti ut essent tibi *memoriale* tuæ passionis; quantum scilicet amaveris nos, ut pro nobis tanta pati volueris, et inde ad continuandum tuum amorem et favorem commovereris. Quanta benignitas!

6° *Propter Dei Patris reconciliationem*, ut Deus Pater ignoscat humano generi, pro

quo Filius sic voluit plagari; unde Joannes: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* (I Joan., II, 1, 2.) Securum accessum habes, o homo, ad Deum, ubi habes Filium coram Patre, Matrem coram Filio. Filius ostendit Patri latus et vulnera; mater ostendit Filio pectus et ubera; nec ulla poterit ibi esse repulsa, ubi tot caritatis occurrunt insignia. Nonne hinc tibi, o sacerdos, singularis fiducia et jucundissima securitas?

7° *Ad impiorum confusionem*, ut ostensis in judicio vulneribus, denuntiet eis quam juste damnari debeant. Unde, secundum S. Augustinum, convincens eos de peccato suæ mortis, dicet: *Ecce hominem quem crucifixistis; videtis vulnera quæ inflixistis; agnoscitis latus quod pupugistis; quoniam per vos et propter vos apertum est, nec intrare voluistis.* (Lib. II, de Symbolo, c. VIII.)

8° *Ad electorum exsultationem*, dum in Deo suo insignia amoris præcipui, quem ad eos habuit, videbunt. Et quidem, primo cum ad judicium faciendum Dominus venerit, in eadem forma omnibus apparebit: ut, dum injusti tanto acrius confundentur quanto magis tantis ejus beneficiis ingrati exstiterint, justi e contrario videntes quanta et qualia pro eis sustinuerit, in ejus amorem amplius excandescant. Dein, in cœlis eas-

dem cicatrices conservabit, *ut sua morti redemptis quam misericorditer sint adjut propositis semper ejusdem mortis innove indiciis, ideoque misericordias Domini i æternum cantare non cessent*, sicut nota Beda in ultimum caput Lucæ ; et ex e pius Ludolphus : *Magnum gaudium eri Sanctis, videre vulnera in carne Christ fulgida per quæ victor triumphavit de morti et salvavit electos.*

9° Tandem vulnerum suorum cicatrices i suo corpore conservavit Dominus, ut essen nobis quasi quædam civitates refugii i adversitatibus, in tentationibus et aliis af flictionibus, ut tamquam columbæ in hisc foraminibus defendamur ab infernalibu milvis. — Assuesce igitur, o sacerdos, a has civitates confugere cum omni fiducia et sine dubio invenies levamen, lumen robur et animi solatium, dicente benignis simo Salvatore : *Venite ad me, omnes qu laboratis et onerati estis, et ego reficiam vo*

EXAMEN.

Circa sextam Beatitudinem.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deu videbunt. (Matth., v, 8.)

« Beati sunt, ait S. Chrysostomus, no qui mundo et claro sunt intellectu, ut philo sophi ; nec qui mundo et polito sunt corpor

ac vestibus, quod multis est impossibile; sed qui *mundo* sunt *corde*, id est, pura castaque mente, quod omnibus est possibile. »

Juxta Cornelium a Lapide, gradus tres habet mundum cor.

1° Mundum cor est *mens casta* et pura omni libidine et carnis concupiscentia.

An mens mea vere casta est et libera a carnis concupiscentia ?

2° Generalius et plenius, mundum cor est *pura conscientia*. Talis est conscientia eorum qui eam mundarunt ab omni peccato, a pravis cogitationibus et desideriis, a passionibus et perturbationibus, ab omni mala intentione et præsertim ab omni duplicitate et hypocrisi.

An talis est conscientiæ meæ puritas ut liber sim :

a) ab omni peccato voluntario ?

b) a pravis cogitationibus et desideriis ?

c) a passionibus ?

d) a perturbationibus mentis et cordis ?

e) ab omni mala intentione ?

f) ab omni duplicitate et hypocrisi ?

3° Plenissime et perfectissime summoque gradu sunt mundo corde, qui liberi sunt ab omni affectu inordinato seu excessivo ad res creatas, adeo ut cor eorum sit Divinitatis *speculum* et *templum*, ut in Angelis ; utque totam mentis intentionem, affectum et amorem in Deum transferant.

An igitur cor meum liberum est non solum ab omni peccato voluntario, sed etiam ab affectu ad creaturas, quem non probat fides vel ratio?

Felicem me nimium, o JESU, si mihi concesseris ad talem munditiei gradum pervenire!

RECOLLECTIO XXIII.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Christi facta discipulis.

1um Præl. Videamus quomodo discipuli omnes præter Thomam congregati fuerint propter metum Judæorum; quomodo deinde Christus ad discipulos ingressus sit, januis clausis, eisque dederit Spiritum sanctum.

2um Præl. Petamus a Deo Patre caritatem, gaudium et pacem Christi, et super omnia Spiritum sanctum.

Ium Punctum. — **Apparitio.**

1° Aspiciamus *Discipulos tristes*, per aliquod tempus *incredulos*, sicut *oves* in medio luporum, sed *unitos* inter se caritate fraterna. Haud dubie mutuo in memoriam revocabant quæ Christus prædixerat de sua resurrectione ; avide autem audiebant Petrum, qui, juxta mandatum acceptum a Domino, satagebat fratres suos confirmare. Sic debemus nosmetipsos et fratres nostros confirmare contra *metum*

et *terriculamenta*, quæ per suos ministros solet nobis injicere Dæmon.

2° *Cum sero esset... et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati... venit Jesus, et stetit in medio.* (Joan., XX, 19.)

a) Cum sero esset. Quare *sero* apparuit Jesus dilectis suis discipulis? Nonne quia non sufficienter dispositi erant? Et re quidem vera *nondum credebant*, licet varia ad eos resurrectionis nuntia misisset. — Forsan *raro* et *tarde* venit ad nos Jesus, quia deficit nobis congrua dispositio. Ita igitur vivamus ut merito dicere valeamus : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum !*

b) Cum fores essent clausæ. Christus in passione sua ligabatur, tenebatur, et, abscondente se divinitate, videbatur omnem libertatem amisisse. Nunc exserit se divinitas, et adeo liber est Jesus, ut nullis parietibus, nullis carceribus possit impediri. Hoc est donum *subtilitatis*, quæ nobis dabitur in cœlo, si hic *laborum* Christi participes fuerimus. — Persuasum habeas, o sacerdos, Deum non intrare in cor, si portæ sensuum

non sint obseratæ; dissipatus est enim spiritus, ubi sensus non sunt custoditi et creaturarum affectus ultro citroque meant. Si diligentius servares portas *cordis tui*, sine ullo dubio frequentius illud visitaret benignissimus Salvator tuus.

c) Venit Jesus, et stetit in medio, ut scilicet æque omnibus esset conspicuus, ut Dux, Magister, Pastor, Protector suorum. *Ubi enim duo vel tres congregantur in nomine ejus, adest ipse.* Videamus an nos in nomine Jesu, hoc est in vera fraterna caritate, congregati simus. Ingenti desiderio oremus cum Ecclesia: *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos uno pane cœlesti satiasti, tua facias pietate concordes.*

Quod si exoptes ut veniat ad *cor* tuum, congrega, o sacerdos, potentias animæ tuæ *in oratione;* claude portas sensuum, et mox tibi aderit *Dux* ad animosa proposita, *Magister* ad solidas virtutes, *Pastor* ad solatia, *Protector* contra tuos hostes. Quia vero *medium* amat Jesus, etiam tu Eum in *medio*

cordis repone, ut nihil præ illo æstimes, ames, timeas.

3° *Et dicit eis: Pax vobis! Ego sum, nolite timere.* (Luc., XXIV, 36.)

Cogitemus quantum solatii habuerint discipuli ex illa voce, quæ poterat profecto detergere metum Judæorum. — Sic solet Christus, dum militamus sub vexillo ejus, consolari nos *in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo.* (II Cor., I, 4.) Clamemus igitur cum Apostolo: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia?* (Rom. VIII, 35.)

Pax vobis! Christo, Principi pacis, nihil gratius est *pace.* Hanc per Angelos in Nativitate sua annuntiari voluit; hanc vivens apostolos docuit: *In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui;* hanc fontem proclamavit felicitatis: *Beati pacifici;* hanc moriturus testamento reliquit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis;* hanc post resurrectionem suis apprecatur: *Pax vobis!* — Vide ergo,

o sacerdos, ut pacem habeas *cum Deo* per veram subjectionem et conformitatem voluntatis tuæ cum Divina; pacem *cum proximo*, per caritatem, humilitatem et patientiam ; pacem *tecum*, per abnegationem et mortificationem passionum inordinatarum, quæ continue bellum tibi movent.

Ego sum, quem bene nostis. « Hæc porro omnia verba, ait Chrys. in Jo. ipsos ad certissimam fidem inducebant. »

II^um^ PUNCTUM. — **Conversatio.**

1° *Conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre.* (Luc., XXIV, 37.) Discipuli, rudes adhuc et imperfecti, non cogitant de toties prædicta resurrectione, sed putant se videre spiritum seu phantasma, tametsi jam audierunt: *Ego sum !* — Quoties nos sancta dictamina et veritates practicas, aut putamus aut nobis mentimur esse illusiones, et id quidem quia timemus agendi difficultates, et magis nobis illudimus !

2° *Videte manus meas et pedes, quia*

ego ipse sum ; palpate et videte. (Luc., XXIV, 39.)

Ad pellendum *timorem*, ad firmandam *fidem* JESUS hoc fecit. O benignitas Salvatoris !

Inhæreamus huic spectaculo, quamdiu possumus. Si vero te terreat, o Frater, difficultas aliqua aut munus grave suscipiendum, inspice illa vulnera, *nuper acerba, nunc illustria*, et spera tua quoque vulnera et adversitates tuas tibi cessuras in gloriam.

3° *Adhuc illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis aliquid quod manducetur?* (Luc., XXIV, 41.)

a) Vide quot modis se JESUS suis insinuet. Ut ipse esse credatur, mittit per quos nuntietur ; ipse se videndum, audiendum, tangendum præbet ; hic, etiam in corpore *glorioso*, ad manducandum petit, ut incredulos reducat. — Intellige, o sacerdos, animarum salutem non uno remedio peragi ; tentanda esse plura. Noli igitur elanguescere, si uno remedio non proficias.

b) At illi obtulerunt ei partem piscis

assi et favum mellis. (Luc., XXIV, 42) Tenuitati discipulorum aliud non suppetebat ; *optimum*, quod habebant, ei porrexerunt. — Fac, o sacerdos, JESUM a te petere quod manducet. Quid ei porriges ? Da optimum quod habes, *te ipsum*, sed *assum* tum interna, tum externa mortificatione. Adde *mel* promptæ ad ejus obsequia voluntatis puræque intentionis ; quo condimento si careant opera tua, non sapient Deo.

c) Conspiciamus coronam Discipulorum, qua circumdatur Christus. Quam *læti* omnes! quam *securi !* Quanto cum amore intuentur beata vulnera, præsertim vulnus *lateris !* Utinam nos hæc vulnera benignissimi Salvatoris frequenter in imagine crucifixi aspiciamus et ore reverenti osculemur ! Erumpent ex his vulneribus *radii* splendidissimi, quibus illuminabuntur mentes nostræ, et *flammæ* ardentissimæ quæ corda nostra adurent.

4° *Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos... quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt ...de me.* (Luc., XXIV, 44.)

Agit JESUS suæ passionis et mortis memoriam, ostendendo hæc *non casu* acta, sed ex *Dei decreto ;* quæ autem Deus decrevit, necesse est impleri omnia. — Discamus igitur quidquid nos pati contingit, id ex Dei decreto venire. Quanta hinc nobis fiducia in omnibus quæ accidunt adversa, et quam merito dixisti, o sancte Paule, *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum* (Rom., VIII, 28.)

5° *Et dixit eis: Quoniam... sic oportebat Christum pati.* (Luc., XXIV, 46.) *Oportebat*, nam passus est *ex amore erga homines. Oportebat*, quia passus est ex *obedientia erga Patrem. Oportebat*, etenim passus est ex *necessitate satisfactionis.* Quid ad hæc, o sacerdos ? Vis pro peccatis tuis satisfacere ? Oportet te pati. Vis quærere salutem proximi ? Oportet te pati. Vis obedire Deo tuo ? Oportet te pati.

6° *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (Joan., XX, 21.) Discipulos igitur facit *apostolos, legatos, vicarios* et *substitutos* suos. Mittit eos eodem fine quo a Patre missus est, ad salutem hominum.

Vult eos illam operari eodem amore quo ipse egit, usque ad effusionem sanguinis. — Quantum est cooperari Filio Dei in salutem animarum! Hæc sane vocatio tantum a nobis zelum exigit quantum Christus habuit. Ast quam longe absumus, o Jesu! Fac ut intelligamus, sicut te misit Pater ad *labores* et *dolores*, ita nobis sacerdotibus plurima *fastidia* generoso animo devoranda esse.

7° *Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* (Joan., xx, 22, 23.)

Insufflando Spiritum sanctum eis dedit, ut se ipsum esse ostenderet qui in faciem primi hominis spiraculum vitæ inspiraverat; vel certe ut ostenderet Spiritum sanctum a se procedere, sicut procedit a Patre. Non tamen est intelligendum quod hujusmodi *flatus* Christi fuerit Spiritus sanctus, sed *signum* ejus. Unde Augustinus: Flatus ille corporeus, substantia Spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per

congruam significationem, non tantum a Patre procedere Spiritum sanctum, sed etiam a Filio (Aug., l. IV de Trinit., c. 20). Fuit autem flatus ille pignus istius *Spiritus vehementis*, qui dandus illis erat in die Pentecostes, qui hic non dabatur nisi in ordine ad potestatem remittendi peccata.

Quale quantumque donum! Ecce quod Deo proprium est, conceditur non angelis, sed hominibus, idque non reservative, sed absolute. Gratias agimus tibi, ō JESU, quod nobis tantillis tantam dignatus es largiri potestatem! Fac ut illa non nisi sancte et fructuose utamur in gloriam tuam et in salutem et sanctificationem animarum. Amen.

CONSIDERATIO.

De B. M. V., causa nostræ lætitiæ.

Causa nostræ lætitiæ est beatissima Virgo Maria:

1° Quia suo exemplo nos docuit ex quibus fontibus nostrum gaudium hauriri debeamus;

2° Quia nobis ostendit quomodo nobis gaudendum sit de gloriosa Filii sui resurrectione;

3° Quia in sua nativitate mundo fuit *aurora consurgens.*

I. *Causa nostræ lætitiæ est Maria, quia nobis suo exemplo ostendit ubi sit vera lætitia.*

1° Hauriebat suum gaudium ex *plenissima* suæ voluntatis cum voluntate Dei *conformitate.* Unice enim desiderabat et eligebat quæ magis conducere sciebat ad ultimum finem; non autem ignorabat nihil ad hunc finem melius et efficacius esse quam id quod vult Deus. Unde plerumque nostræ tristitiæ? Nonne ex *defectu integræ* nostræ voluntatis cum voluntate Dei *conformitatis?*

2° Hauriebat suum gaudium ex *perfectissima humilitate.* Minime sollicita erat de hominum existimatione et de eorum despectu. Valde autem sollicita erat de Dei existimatione merenda; et cum intelligeret se semper Deo placuisse, ingenti jugiter ex hac parte fruebatur gaudio. Quam sæpe nos experimur tristes atque turbatos, quia nobis deest vera et sincera humilitas!

3° Hauriebat suum gaudium ex *sincero gaudiorum hujus mundi contemptu.* Desiderabat, sapiebat quæ sursum sunt, *cœlestia et æterna;* terrena et transitoria summopere despiciebat. Faxit Deus ut et nos familiare habeamus quod dixit S. Gregorius Magnus: *Nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.*

4° Hauriebat suum gaudium ex *intima*

cum Deo unione per exercitia spiritualia fidelissime et perfectissime peracta. Quant exsultabat lætitia in suis colloquiis cu Deo! O certe experientia didicerat qua merito dixerit Sapiens de hominum co versatione cum Deo: *Non habet amaritu dinem conversatio illius, nec tædium conv ctus illius, sed lætitiam et gaudium.* (Sap VIII, 16.) O sacerdos, si fidelius, si ferven tius, si majori cum fide quotidie conversa reris cum Deo tuo, in meditatione, i visitatione Sanctissimi, in actione gratiarur post missam, in frequenti mentis et cordi ad cœlum ascensu, non tam sæpe mens tu obnubilaretur tristitia, nec tam multipli cor tuum anxietate concuteretur.

II. *Causa nostræ lætitiæ est Maria, qui nos docuit de gloriosa Filii sui resurrection gaudere.*

1° Gaudebat *propter Filium.* Videra pauperem, laborantem, injuriis obrutum injuste ab hominibus condemnatum, cruci bajulatorem, in cruce morientem inter acer bissimos cruciatus; quem nunc videt trium phantem, gloriosum, viventem nova vita vita admirabili, modo regnaturum pro tot æternitate! Quis verbis æquare posset, Maria, gaudium quo tunc fruebaris? Pro fecto hujusmodi gaudii nos decet participe esse, ita ut, juxta S. Paulum, vere *gau deamus in Domino.*

2° Gaudebat propter *Apostolos*. Eos amabat valde, utpote mater amantissima ; eos viderat Filii sui socios, participes laborum et opprobriorum ; eos viderat afflictos ; viderat anxios et tristes ipsa die resurrectionis ; sed postquam oculis suis conspexerant JESUM redivivum, quam lætos eos vidit et securos : unde non poterat pia mater non congaudere filiis suis. Congaudeamus et nos fratribus nostris, qui jam habent partem cum JESU in cœlo. Eis congratulemur quod fideliter secuti sunt JESUM *insigni modo*, agendo pro JESU contra amorem suum proprium, contra amorem sensualem, contra amorem carnalem et mundanum, et sic triumphi laureis condecorati pervenerunt ad cœlum.

3° Maria gaudebat propter *semetipsam*. Etenim, videndo JESUM de morte triumphum retulisse gloriosissima resurrectione, cum gaudio ingenti cogitabat se aliquando etiam de morte triumphaturam seque resurrectionis gloriam adepturam esse. Videndo JESUM nunc frui plenissima felicitate et in anima et in corpore, sperabat vehementer post ærumnas, labores, anxietates et multiplicia exsilii tædia, se mox harum miseriarum finem accepturam, et tanto majorem habituram partem in deliciis Filii sui, quanto majorem haberet partem in doloribus, dicente Propheta : « *Secundum multitudinem*

dolorum meorum in corde meo, consolatio tuæ lætificaverunt animam meam. » (I XCIII, 19.) Sic et nos nobismetipsis ga deamus. Utique veniet finis laborum, ven resurrectio, veniet gloria æterna.

III. *Causa nostræ lætitiæ est Maria, quia sua nativitate mundo fuit aurora consurge*

« *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurc consurgens ?* » Quare dicit Spiritus sanc Sponsam suam similem esse auroræ ? Sa quia quædam sunt rationes similitudi Mariam inter et auroram.

1° Aurora est terminus noctis et d principium, solemque adesse testatur. Virgo Deipara mundo, ignorantiæ pecca rumque tenebris circumfuso, illuxit, sc justitiæ non tantum prænuntia et gestatr sed *genitrix*. Qua in re imitantes amantis mam nostram Reginam, debemus et r consurgere mundo ut aurora : nempe debe per nostrum zelum peccatores de noc tenebris transire ad lucem diei ; propter nostrum est mentes eorum illuminare d ctrina eosque inflammare fiducia, ut sic aperiamus viam ad veniam.

2° Aurora nocturnas aves effugat, diurn ad concinnendum invitat. Sic B. M. V. d mones veluti aves immundas longe expell Dei servos et ipsos angelos, tamquam a diei sublime volantes, ad Dei laudes exci atque invitat.

Sic et nos per munus confessarii dæmones e cordibus pœnitentium cum magno ardore expellamus, et verbo et exemplo omnes ad laudandum Deum stimulemus.

3° Aurora jugiter in majorem splendorem proficit eoque tempore decidit ros albus, quo ab æstu refrigerantur sata, et fecundatur terra. Sic Maria, cum viveret, in omnibus suis actibus, majoribus incrementis meritorum semper excrevit, et *nunc* ejus apud homines cognitio et in eam pietas magis magisque propagatur; ejusque precibus divina gratia in hominum animas descendit velut ros albus, quo ab æstu tentationum et concupiscentiæ refrigerantur et ad opera bona germinanda fecundantur. Utinam in hoc te imitari valeamus, o Maria!

EXAMEN.

Circa septimam Beatitudinem.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. (Matth., v, 9.)

Juxta mentem sancti Ambrosii (in cap. vi Lucæ), *pacificos* vocamus illos qui primo *in semetipsis* pacem faciunt, et quidquid perversæ cogitationis, locutionis operisve deprehendunt, potenter expellunt; nec aliquid *turbationis* in suæ regno dominationis esse permittunt; et, si quid eis adversitatis occurrat, pacem suam tamen servant, et

cuncta cum cordis sui tranquillitate juc
cant. Deinde non in se tantum custodiu
pacem, verum etiam *alios* discordantes si
ad unitatis pacem reducunt, ac semper pa
faciendæ, reformandæ et conservandæ, si
in se, sive in aliis, invigilant.

Ex his pulcherrimis Ludolphi Saxoni
verbis merito statuimus cum Cornelio
Lapide quatuor istius Beatitudinis gradu

Primus gradus est, pacem animæ inte
nam cum Deo habere vel procurare.

Secundus gradus est, pacem cum vicin
et proximis colere.

Tertius gradus est, dissidentes et disco
des ad concordiam caritatis revocare.

Quartus gradus est, facere alios simil
sibi, scilicet aliis instillare zelum pacis,
studeant pacificare quoslibet discordes.

Convenit ut sacerdos, suæ perfectio
sollicitus, identidem examinet se juxta h
varios gradus septimæ Beatitudinis, si ve
et ipse gloriosissimum mereri nomen *fi*
Dei.

Exquirat igitur a semetipso

1° An habeat internam animæ pace
cum Deo,

a) Viriliter expellendo quidquid *perver*
cogitationis... locutionis... operisve deprehe
derit;

b) Minime permittendo aliquid *turbat*
nis;

c) Pacem conservando si aliquid *adversitatis* occurrat.

2° An pacem cum proximo, maxime *cum vicinis et propinquis* colat.

a) An habeat pacem *cum suis sociis* in ministerio sacro.

b) An habeat pacem *cum suis parochianis omnibus.*

c) Et si aliqua exsistit dissensio sive cum sacerdote, sive cum laico, sive cum cognato, unde provenit? An non a te pendet, o frater, quod finem nondum acceperit hæc dissensio?

3° An conetur sedulo dissidentes et discordes ad concordiam caritatis revocare.

a) An omnem adhibeat curam ut juniores collegæ nullam foveant inter se dissensionem, rancorem, zelotypiam, mutuam diffidentiam, pruritum altercationis.

b) An omnem moveat lapidem ut in sua parœcia, in suo collegio, in sua communitate non sint *partes* sibi invicem contrariæ.

Et si eas impedire non valeat inter parochianos, num omni conatu studeat impedire quin ullus e sacerdotibus unam alteramve sustineat partem.

c) An verbo et opere se totum impendat ad obtinendam perfectam unionem parochianorum inter se et cum suis sacerdotibus. Vere *filius Dei* tu, o sacerdos, si per te pax in parœcia tua vigeat, floreat, splendeat!

4° An cordi habeat se ostendere *apostolum pacis*, ex toto corde omnes exhortando frequenter ad pacem colendam, et ita de *bono pacis* loquendo, ut omnes pacis existimationem concipiant et amorem.

RECOLLECTIO XXIV.

CONTEMPLATIO.

De apparitione Christi facta S. Thomæ.

1um Præl. In memoriam revocemus quomodo S. Thomas, qui absens fuerat, protestatus sit se non crediturum nisi videret, et quomodo JESUS post octo dies S. Thomam de incredulitate admonuerit.

2um Præl. Petamus a Deo Patre gratiam fidei, spei et caritatis.

Ium PUNCTUM. — **S. Thomas incredulus.**

1° *Thomas, unus ex duodecim... non erat cum eis quando venit Jesus.* (Joan., XX, 24.)

Discipuli, admoniti de resurrectione Domini, illum congregati exspectant. Thomas, non credens, discessit ab eis. Audierat discipulos, qui ex Emmaüs reduces, narrabant se vidisse Christum, et quia non credebat, abiit. Caruit igitur visione Domini et gratiis in alios effusis. Duo autem commisit : judicium suum illorum asserentium judicio an-

teposuit et a communitate recessit. Contemplemur igitur Thomam segregatum a reliquis et solitarium. Non solum abest ab aliis corpore, sed etiam mente. Unde et ipsi potissimum applicatur illud Lucæ : *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.* (Luc., XXIV, 11.) Interea *tristis* est, aliis lætantibus. — Hinc discamus quam *noxium* sit pertinaciter resistere communi aliorum sensui. Hinc etiam intelligamus quam *utile* sit *exercitiis communibus* interesse, ut sunt exercitia recollectionis menstruæ, cum certum sit Christum libenter adesse caritate conjunctis et in nomine ipsius in unum congregatis.

2° *Dixerunt ei alii discipuli : Vidimus Dominum.* (Joan., XX, 25.) En ut alii discipuli verbis et rationibus bonis conati sint membrum illud quodammodo a se avulsum conservare et sibi iterum aggregare. — Hoc etiam a nobis exigit fraterna caritas. Utinam igitur omnis sacerdos hæc Dei verba frequenter habeat in ore : *Quod perierat, requiram ; et quod abjectum erat,*

reducam; et quod confractum fuerat, alligabo; et quod infirmum fuerat, consolidabo; et quod pingue et forte, custodiam; et pascam (oves) *in judicio.* (Ezech., XXXIV, 16.)

3° *Dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* (Joan., XX, 25.)

Quot et quanta peccata in hoc apostoli dicto! Incredulitas, pertinacia, superbia, præsumptio: præscribit enim suæ conversionis modum; tandem scandalum, dum sic *palam* protestatur. Causa hujus tristissimi animæ status fuit genus quoddam *desolationis* et *tentationis*, cui, ut oportebat, non restitit. Et ecce totis octo diebus mansit in ea dispositione, nec ab ullo flecti se permisit. Ita generatim agunt qui de se nimium præsumunt. Vide igitur, o sacerdos, an nihil in te simile deprehenderis, et in posterum sedulo cave ab omni causa vel minimæ incredulitatis.

II^um PUNCTUM. — **S. Thomas conversus.**

1° *Post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.* (Joan., XX, 26.)

Unum quærebat JESUS, et ad *omnes* venit, ut scilicet qui coram omnibus peccaverat, coram omnibus resipisceret, et qui omnes contristaverat, omnes exhilararet. — Non raro quædam permittit Dominus, ut nobis occasio sit ædificandi eos quos forsan aliquando scandalizavimus. Optemus ut tales nobis frequentes obveniant occasiones, et de eis nunquam omittamus Deo gratias agere.

2° *Deinde dicit Thomæ.*

Cur ad unum convertitur ? Adsunt digniores, Petrus, Joannes, et, ut creditur, Beatissima Virgo; unum Thomam alloquitur, et ejus se causa venisse ostendit. Non attendit ad *plurium dignitatem*, sed ad *unius necessitatem !* Quam amans, quam misericors Dominus ! Et quis post hoc desperabit ? — Et tanta est erga Thomam JESU benignitas, ut

iterum se ei non tantum videndum sed et palpandum offerat. Verum tamen est id JESUM fecisse non ob Thomam solum, sed et propter cæteros apostolos, ut eos nosque omnes in fide resurrectionis firmaret.

3° *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum.* (Joan., XX, 27.)

Ecce *clementia* Christi, qua per omnia ad ea, quæ postularat Thomas, se demittit, ejusque votis per omnia obsecundat, *ut eum convertat.* « En, ait S. Chrys., ut Christus etiam *pro una anima* vulnera sua ostendat, et cum crassioris esset ingenii, a crassissimo sensuum fidem sibi quærat, i. e. a *tactu.* »

O felix Thoma, quam felicem habuit licentiam manus tua! Magna quippe licentia et magna gratia est mittere manum in latus illud dulcissimum, in latus illud saluberrimum, in latus, in quam, unde ab ira salvamur, unde a culpa sanamur, unde in gratia regeneramur, unde in gloria sublimamur. Et ego, sacerdos, o mi JESU, me Thoma multo feliciorem existimo, dum quoti-

die per sacram communionem te in pectore meo possideo, et toties quoties libuerit, manum in latus tuum mittere valeo. O sacerdos, si scires donum Dei!

4° *Noli esse incredulus, sed fidelis* (Ibidem).

Quasi dicat: « Putas, o Thoma, a me non sciri ea, quæ de me absente dixisti; sed scito me ea scire, immo præsentem audivisse. Audivi enim te ex incredulitate dicentem: *Nisi mittam*, etc. Facito sicut dixisti; en, tibi offero perforatas manus latusque meum, ut ea contrectes, palpes, immo digito et manu tua metiaris, ut deponas tuam incredulitatem, ac deinceps credas me resurrexisse, eumdem, inquam, numero qui in cruce transfixus pependi, non alium.

Hac ratione curat Christus alterum vulnus infidelitatis Thomæ; ostendit enim se secreta nosse, esse se cordium cognitorem, ideoque Deum, quod Thomas non credebat, ut putant multi Patres. Sanat ergo Christus morbum a radice; ideo enim Thomas non cre-

debat Christum resurrexisse, quia non credebat ipsum esse Deum.

5° Docet nos Dominus veram rationem corrigendi errantes. Verba, quibus utitur, omni carent acerbitate et sunt plena mansuetudine. Sic sacerdos, dum alium videt desolatione affici seu tentatione, cavere debet ne se *durum* vel *austerum* illi exhibeat, sed *mitem* se potius præstet ac *suavem*, juxta hæc Apostoli verba: *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* (Gal., VI, 1.) Correptio igitur fraterna *suavis* sit et *misericordia plena;* et licet *firmitate* carere non debeat, nunquam tamen *dura* sit aut nimis *austera*. Quam merito dixit S. Franciscus Salesius una guttula mellis plus capi muscarum quam dolio aceti!

6° *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* (Joan., XX, 29.) Quasi dicat: Beatus es, Thoma, qui me tetigisti ideoque credidisti me resurrexisse esseque verum Deum. Verumtamen magis beati

sunt, qui me non viderunt nec tetige-runt, et tamen in me crediderunt, quia ibi fides majus habet meritum ub humana ratio non præbet experimen-tum. Nota sunt pulcherrima verba S. Gregorii in hom. XXVI : « Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit enim miro modo superna cle-mentia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis in nobis vulnera sanaret infidelitatis Plus enim Thomæ infidelitas ad fidem quam fides credentium discipulorun profuit, quia dum ille ad fidem palpan do reducitur, nostra mens omni dubita tione postposita in fide solidatur. »

7° *Respondit Thomas, et dixit ei Dominus meus et Deus meus !*

Thomas commutus et quodammod liquefactus ex aspectu et tactu vulne rum Christi, præ affectus vehementi non potuit nisi illa duo verba proferre «Tangebat *hominem*, ait Beda post alio et confitebatur *Deum*.» Und Theopl (in Jo., XX): «Qui prius fuerat infideli post lateris tactum optimum se The logum ostendit, duplicem naturam

unam Hypostasim Christi edisserens. Dicens enim *Dominum*, naturam humanam, dicens *Deum*, divinam confessus est in uno et eodem. »

Verba S. Thomæ plena sunt affectus, fidei, timoris, doloris, quasi diceret : Agnosco in vulneribus Dominum meum JESUM, et eumdem agnosco Deum meum, qui benignitate sua vicit incredulitatem meam.

O quanto jure idem exclamas, sacerdos, quoties eumdem Dominum in altari præ manibus et oculis tuis habes ; tanto beatior Thoma, quod non ideo credas eum præsentem esse, quasi oculis corporeis videris, sed quia *Dei Verbum*, cui humillime te submittis, revelavit.

8° Conspiciamus Dominum sua vulnera Thomæ et aliis discipulis benignissime monstrantem. Stat cum eis per aliquam morulam, loquens de regno Dei consolatoria ; stant et ipsi cum eo in lætitia magna, audientes illa verba excelsa, et aspicientes faciem ejus, spirantem gaudium, decorem et gratiam. Stemus et nos cum eo reverenter ac

verecunde, et experientia discamus *quam bonum et quam jucundum sit, esse cum Domino.*

CONSIDERATIO.

De amore S. Aloisii Gonzagæ erga SS. Eucharistiam.

Effigies quæ exstant S. Aloisii, nobis hunc sanctum Juvenem modo exhibent crucem manibus tenentem, pedibus calcantem coronam, et juxta se habentem lilia cum flagellis ; modo eum ostendunt sanctis deliciis immersum, ac SS. Sacramentum adorantem. Has imagines pie aspicientibus patet sanctum Aloisium excelluisse caritate, mortificatione, contemptu rerum mundanarum, et non minus amore erga Christum Dominum in Tabernaculo latentem.

Non exiguum capiet fructum sacerdos ex attenta consideratione illius amoris quo S. Aloisius ardebat erga SS. Eucharistiam. Hic autem admirabilis erat *intelligentia* admirabilis *fructu*, admirabilis *zelo*.

I. *Amor admirabilis intelligentia.*

Oculo fidei penetrans illud stupendum Dei beneficium, mirabatur S. Aloisius Dei *potentiam... sapientiam... generositatem... patientiam.*

Videbat jam tum Aloisius, ut nos hodie JESUM pandentem nobis cor suum amantis-

simum, sanguine manans, spinis coronatum, flammis adustum ferensque crucem. Inde in corde Aloisii ferventissimi oriebantur affectus *gratitudinis... fiduciæ... amoris.* Qui affectus adeo vehementer cor angelicum Aloisii premebant, ut prorumperent in verba quæ, tamquam totidem flammæ, audientium animos singulari implerent ardore, potenterque ad amandum JESUM excitarent.

Quam multi sacerdotes, si sincere hos S. Aloisii affectus cum sua assueta indifferentia et tepiditate conferrent, pudore afficerentur maximo. Utinam vividius oculo fidei aspicere conentur Tabernaculum ! Procul dubio et ipsi eloquentius de SS. Sacramento Altaris loquerentur et efficacius suos subditos ad amorem JESU inflammarent.

II. *Amor admirabilis fructu.*

1° Nunquam invisebat Sanctissimum Aloisius, quin inde aliquid roboris, vel luminis, vel solatii referret. Ipsi enim erat Tabernaculum refugium *tutissimum* et *suavissimum.* JESU, utpote *amico* et *patri*, sancta familiaritate communicabat tristia sua et læta. Quam dulcia miscebatur colloquia JESUM inter et Aloisium ! Tanta fruebatur voluptate in hujusmodi colloquiis Aloisius, ut non raro debuerit sibi vim inferre ad recedendum a pedibus divini sui amici.

O quantum sæpe distamus nos sacerdotes ab illa sancta familiaritate! Quare? Forsan quia *rarior* nostra Tabernaculi visitatio? Forsan quia *frigidior* nostra cum JESU conversatio. Forsan quia nobis visitantibus JESUM deest fides, deest fervor, deest simplicitas, deest fiducia.

2° Quis dicat quot quantaque inveneri Aloisius in sacra communione emolumenta? Vere ipsi *cibus* erat Corpus Domini, et quotiescumque ipsi per obedientiam licebat quadam aviditate utebatur hoc divino cibo. Non sine admiratione et maxima cum ædificatione illi, qui frequentabant ecclesiam Societatis JESU, aspiciebant angelicum juvenem, recepta SS. Eucharistia, piissime prostratum genibus, vultu profuso lacrymis totum liquescentem deliciis, dum, quasi mente abstractus, suavissime cum cœlesti suo Hospite colloquebatur... Nec mirum sanctum nostrum post tam ferventem communionem perstitisse in actione gratiarum unde Mater Ecclesia, in missa quæ celebratur de festo S. Aloisii, jubet nos in post communione a Deo petere ut, ad exemplum S. Aloisii, *angelicis moribus vivamus et in gratiarum semper actione maneamus.*

Et tu, o sacerdos, quid agere soles, quando ad te, et quidem quotidie, venire dignatur Rex regum, Dominus angelorum? Nonne, quod magnopere dolendum, *longius* tibi

videtur et *tædio plenum*, exiguum temporis spatium, quod tribuere assuevisti actioni gratiarum ? O si scires donum Dei !

3° Non minora lucra petebat Aloisius ex *Missæ sacrificio*, dum vel ei assistere contingebat, vel sacerdoti litanti inservire. Omnes qui aderant, eum tamquam angelum habebant, munus angelorum obeuntem more vere angelico. Et nos sacerdotes, qui ut primi inter mortales dignitate, sic primi etiam debemus esse pietate et fervore, quam frigide, quam indevote, quam irreverenter, missam nonnunquam celebramus ! Faxit Deus ut, occasione hujus recollectionis, unusquisque nostrum renovet propositum nunquam deinceps celebrandi missam nisi *digne*, *sancte* et *ferventer*.

III. *Amor admirabilis zelo.*

S. Aloisius amorem pro amore rependere satagebat. Inde : 1° Gaudebat de splendido ornatu ecclesiæ, de suavitate cantus, de populi frequentia.

2° Adhuc novitius rudibus et pueris doctrinam christianam explicans, nunquam omittebat eos exhortari ut JESUM cum reverentia adirent, eosque simul ad S. Communionem dignissime accipiendam excitabat.

3° Omnem occasionem avide arripiebat sermonem inducendi de SS. Eucharistia, de qua tanta disserebat eloquentia, tanto

cum æstu et ardore, ut omnium adstantium animos accenderet atque inflammaret. Fertur nonnullos Patres collegii Romani, sua doctrina et sanctitate insignes, solitos fuisse recreationem vespertinam peragere cum S. Aloisio, eo animo ut per ipsius sanctam conversationem præpararentur ad missam sequenti die celebrandam cum majore devotione et pietate.

Quid noster hucusque zelus operatus est pro gloria SS. Eucharistiæ? O si vere essem ipse devotus erga Dominum meum, pro me diu noctuque in Tabernaculo latentem, ardentior essem et constantior in labore, ut omni conatu fideles inducerem ad frequentandam magis ecclesiam, ad audiendam sæpius missam, ad percipiendam frequentius communionem. Nonne forte mea incuria factum est ut rarissimus sit Tabernaculi visitator, rarissimus sacræ mensæ conviva, et rarissimi adstantes quotidiano sacrificio? Fac, o mi JESU, ut *ignis quem venisti mittere in terram*, tandem in me, intercedente sancto Aloisio, *accendatur*.

EXAMEN.

Circa octavam Beatitudinem.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. (Matth., v, 10.)

Ut circa hanc Beatitudinem fructuose se

quis examinare possit, ad sequentia debebit attendere.

1° Hæc Beatitudo *summa* est, et in *passione* et *patientia* consistit, dum priores in *actione* sitæ sunt. Unde S. Ambrosius: *Usque ad finem te ducit, usque ad martyrium prosequitur; ibi constituit Beatitudinum palmam.* Christianorum est *fortia* pati.

2° *Pati propter justitiam* est pati quia justi, quia Christiani, quia justitiam sequuntur, quia servant Dei legem vel statuta sui Ordinis, quia tuentur jus pupillorum vel fidem, aut res aut jura Ecclesiæ, quia student reformationi cleri vel monasterii. *Justitia* enim hic ample accipitur et *quamlibet virtutem* significat, ait S. Chrysostomus.

3° *Beati* sunt qui patiuntur propter justitiam, *a)* quia persecutio nos separat a mundo et jungit Deo; *b)* quia propter Deum illam patimur; *c)* quia per hoc similes evadimus Christo, qui tota vita usque ad mortem crucis a Judæis persecutionem sustinuit.

4° Si patiendo consequi vis hanc Beatitudinem, tibi attendendum est *a)* ut *innocens* patiaris; *b)* ut *quamcumque* persecutionem feras, a *quocumque* illa inferatur; *c)* ut patiaris *gaudens* et *exsultans* quia merces tua copiosa in cœlis; *d)* ut pro motivo patientiæ habes exemplum Christi, qui cum esset innocentissimus, non

dedignatus est vocari *blasphemus, seductor populi, vini potator, dæmoniacus*, et tandem probrosissime cruci affigi. Deinde persecutionem passus est a Satana, a Pharisæis, a Discipulis, quorum unus illum negavit, alter prodidit.

Vide igitur, o sacerdos, *quo animo* feras quidquid tibi occurrit patiendum vel

a *mundo contradicente*, vel

a *Dæmone affligente*, vel

a *carne adversus spiritum concupiscente*.

An *patienter?*

An *libenter?*

An *jucundissime?*

Fac, o Domine, ut nunquam obliviscar hæc tua verba, mihi nunc jucundissima: *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* (Matth., v, 11 et 12.)

RECOLLECTIO XXV.

CONTEMPLATIO

De apparitione Christi facta plus quam 500 fratribus.

1um Præl. Recordemur quomodo discipuli ex Christi mandato iverint in montem Thabor, et quomodo eis apparuerit Dominus, eis suam exposuerit potestatem, eosque ad prædicandum Evangelium miserit per totum orbem.

2um Præl. Petamus a Deo Patre *spiritum apostolicum* ad prædicandum Christum.

In contemplatione hujus mysterii singulariter excitari solet *zelus* boni sacerdotis, et simul animæ ejus injicitur *ingens fiducia*, ita ut in subeunda sublimi sua missione nihil jam formidet. Utinam hic fructus sit præsentis recollectionis !

I Punctum. — **In via.**

Discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. (Matth., XXVIII. 16.)

Animadverte, o sacerdos, discipulos debuisse ire, ut viderent et invenirent Christum, non in montem quemvis pro arbitrio suo, sed in eum quem constituerat illis JESUS. Sic tu non invenies Christum in loco quem pro libitu elegeris, sed in illo quem per superiores tuos constituit tibi JESUS.

Videamus discipulos illos plus quam quingentos *abeuntes* in Galilæam, ut viderent JESUM in monte *a Jesu* constituto. Jam aliquibus plus quam semel apparuerat Christus ; tamen illis est *desiderium videndi iterum* Christum : propter quod iter illud suscipiunt. — Discamus hinc quod *cœlestes voluptates* nunquam *satietatem* afferunt, sicut *temporales*, quæ sæpe tædio sunt cum habentur. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam saturabuntur.* Sed saturitas hæc non parit tædium, immo desiderium auget.

Audiamus colloquium discipulorum in via. Haud dubie commemorabant verba quæ dixerat Christus post ultimam cœnam : *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* (Marc., XIV,

28.) — Si nos quoque videre volumus Christum, necesse est verba ipsius evangelica tum nobiscum, tum cum aliis, sæpe revolvere. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! » (Ps. CXVIII, 103.)

Videamus discipulos jam *ascendentes in montem.* In ipsis sine dubio videre est *innocentiam manuum* et *munditiem cordis*, juxta illud (Ps. XXIII, 3, 4) : *Quis ascendet in montem Domini ?... Innocens manibus et mundo corde.* — Mons, o sacerdos, in quem ascendis quotidie, *altare* est. An illud ascendis cum *conscientia pura*, cum *puro corde?*

Audiamus discipulos illos loquentes et aspirantes ad futuram Christi apparitionem. Hæc autem et similia ad Christum dicebant : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam ; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum.* (Ps. XLII, 3.) Nos quoque convenit similia dicere, quando ascendimus ad altare, ut Christum videamus velatum speciebus panis et vini.

Audiamus præsertim *apostolos* stimulantes in aliis exspectationem et desi-

derium Christi. — O si in me verus esset amor Jesu, os loqueretur ex abundantia cordis ; libentius, frequentius, efficacius loquerer de Domino meo, in cathedra, in confessionali, in visitatione infirmorum, in conversatione, in epistolis. O si plenus essem Jesu, saperem sane hæc cujusdam pii scriptoris verba : « O anima sancta, vicario amore et desiderio occurre Deo tuo ; Jesus tuus cupit esse tecum ; tu vicissim nonnisi cum Jesu esse cupias. Deliciæ ejus sunt esse tecum ; deliciæ tuæ sint esse cum illo. Ab illo ergo sine te regi, flecti et dirigi, ut regnum sinit se regi a rege, exercitus a duce, domus ab hero, navis a nauclero, currus ab auriga, voluntas a ratione, corpus ab anima, mundus a sole. *Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus tuus*, ait S. Augustinus. »

II^um^ Punctum. — **In monte.**

Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (Matth., xxviii, 18.)

Apparet igitur Jesus in sua maje-

state. Quam formosus, quam suavis, quam amabilis! Vehementer commoventur discipuli : omnium oculi inhærent vulneribus JESU. Fluunt lacrymæ; æstuant corda ; avide attendunt aures ad percipienda optimi magistri verba. Misceamus nos discipulis mente, et quæ dicuntur fideliter expendamus.

1° Nullus rex habet potestatem *omnem* in terra, multo minus in cœlo. Unde ergo hæc tanta potestas JESU? Nonne quia *humiliavit semetipsum factus obediens? Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Hinc docemur *paupertatem, abjectionem sui* et *humilitatem*, non tantum omnes *virtutes*, sed etiam omnem *exaltationem* introducere.

2° Ex hoc quod data est JESU omnis potestas, in cœlo et in terra, *magni animi* adduntur militibus ipsius. Sciunt in suo Duce esse magnam virtutem, magnam potestatem. Per *hanc* autem *fidem* et *fiduciam* pellemus omnem timorem hostium visibilium et invisibilium. *Vestri capilli capitis om-*

nes numerati sunt ; nolite ergo timere. (Matth., x, 30)

3° *Data est mihi omnis potestas, ut Deo* per æternam generationem ; *ut homini*, per unionem hypostaticam et propter merita Passionis et Crucis.

In cœlo, ubi jam regnat... unde videt certamina mea... ubi interpellat pro me.

In terra, ubi dominatur elementis universisque creaturis ;... ubi in manu ejus sunt corda et voluntates... ubi nihil accidit sine ejus voluntate vel permissu... ubi nobiscum est.

Quanta inde Sacerdoti fiducia, securitas et consolatio !

4° *Euntes ergo docete omnes gentes.* (Matth , xxviii, 19.)

Quam ampla indicatur missio! Quam nobilis! Quam divina! *Et hæc est mea !* O mi Jesu, immensas compellor tibi gratias agere pro hac tanta dignatione qua me vocasti ad docendas omnes gentes Utinam zelus meus huic sublimi vocationi valeat respondere ! Utinam ut ignis, et ego innumeras animas flammis aduram divinæ caritatis ! Utinam cum Jesu dicere possim : « *Ignem veni*

mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ! »

5° *Qui crediderint... dæmones ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent, et bene habebunt.* (Marc. XVI, 17, 18.)

Promittit ergo JESUS *miracula.* Hæc omnia *a) realiter* accident, quando ad fidei confirmationem necessaria fuerint ; *b) quotidie* hæc spiritualiter boni operarii in proximo operantur ; *c)* eadem efficere possumus in nobis ipsis, *ejiciendo* peccata per contritionem, *loquendo* spiritualia, *tollendo* peccati occasiones, *non consentiendo* tentationibus, *sanando* passiones, *exstirpando* consuetudines pravas et inveteratas.

6° *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* (Matth., XXVIII, 20.)

Quam jucunda hæc Christi promissio ! Quam apta nobis vires addere et animos, et compellere nos ad omne opus etiam quam maxime arduum.

Ego, inquit, Deus, vester Salvator,

debellator gloriosus inferni, mortis, peccati, *vobiscum sum.*

Vobiscum sum, et qua *Deus* et qua *Homo Deus.* Etsi non videar a vobis, video vos et observo quæ agitis. Quantus stimulus ad bene agendum!

Vobiscum sum: a) per *gratiam habitualem*, quæ nos Deo conjungit. Quanta cura hujus vinculi habenda!

b) Per *gratias actuales*, dando vires ad operandum supernaturaliter. Per me autem stat ut evadant hæ vires vere efficaces.

c) Per *specialem providentiam*, regendo nos ad finem nostræ vocationis. Tot modis, o mi JESU, mecum es; ero et ego tecum *semper* corde et opere.

d) Per *sanctam Eucharistiam.* Sis ergo et tu, o sacerdos, cum illo, ei serviendo, eum amando, et cave sedulo ne unquam ab eo vel per momentum separeris.

Omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi: non igitur ad certos annos, sed ad *omnes;* non interpolate, sed *continuate* et semper. Hinc quidquid accidat Ecclesiæ, quidquid tibi,

nunquam despondeas animo, sed de promissione securus confide.

CONSIDERATIO.

De sacerdotibus a Corde Jesu singulariter dilectis.

Inter scripta B. Margaritæ Mariæ Alacoque exstat scriptum brevissimum sub hoc titulo : *Prédilections du Cœur de Jésus*, in quo enumerantur quatuor classes animarum, quas Cor JESU præcipuo prosequitur amore. Juvabit inde assumere materiam considerationis.

Prima classis singulariter dilectorum.

Celle qui sera la plus humble et la plus méprisée, sera la plus avant dans ce Cœur adorable.

I. Quænam anima dici debet *maxime humilis ?*

Ea scilicet quæ humilem se præbet erga *Deum*, erga *homines*, erga *se*.

1° Erga *Deum. a)* Appretiando Deum super omnia, nihil ei prorsus præferendo, proinde parata omnia potius amittere et omnia pati quam vel minimum committere peccatum. *b)* In *re prospera*, omnem ei referendo gloriam, non sibi. *c)* In *re adversa*, se læto animo gratam exhibendo Deo, et libentissime se submittendo Dei beneplacito, tale quid permittentis.

An talis fuit, an talis mea erit humilitas ?

2° Erga *homines. a)* Neminem contemnendo, sive *cogitatione*, sive *verbis*, sive *modo agendi.*

b) Minimi faciendo hominum judicia.

c) Singulari amore prosequendo contemptores nostri.

An talis fuit, an talis mea erit humilitas?

3° Erga *semetipsum. a)* Se deprimendo propter *peccata ;* propter *merita* aliorum et *talenta :* hæc enim apud multos meliora sunt et plura.

b) Non affectando, non desiderando, non quærendo hominum existimationem, famam, laudes, applausus, munera et officia speciosiora.

c) Gaudendo de neglectu nostri, de contemptu, de omni quacumque humiliatione.

An talis fuit, an talis mea erit humilitas ?

II. Quare anima talis præcipue diligitur a Corde JESU ? Quia tota Christi vita non aliud nisi perpetuum humilitatis exercitium fuit. Natus ex humillima matre, fabri sponsa, in præsepio inter duo animalia, diu in Ægypto latuit ; postmodum in oppidulo, de quo dicebatur : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* (Jo., I, 46.) Quos deinde non pertulit contemptus ? Usque ad ignominiosam crucem humilitatis exercitium exaltavit. Et in Eucharistia !

III. Quisnam est fructus talis humilitatis?

Vera libertas filiorum Dei et generosus judiciorum humanorum *contemptus;* summa pax et animi perfecta tranquillitas, dicente Domino : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (Matth., XI, 29.)

Comparemus duos sacerdotes, quorum unus humilis est, superbus alter. Quantum discrimen! Superbus longe stat a Corde JESU ; humilis habitat in corde JESU, quod illi paradisus est. Utinam, o JESU, hæc sit sors mea!

Secunda classis singulariter dilectorum.

L'âme la plus dépouillée et la plus dénuée de tout, le possédera davantage.

I. Quænam dicenda est anima *maxime spoliata* et *omnium rerum expers?*

1° Anima *maxime spoliata* ea est quæ ex amore Dei libenter patitur se privari rebus quas aliquando habebat : proinde anima quæ *gaudet se privari bonis externis* seu *divitiis*, cum nulli rei creatæ adhæreat; *bonis corporis* seu *valetudine*, ita ut ne sollicita quidem sit de corporis sanitate recuperanda ; *bonis famæ*, seu existimatione et honore ; *bonis animæ*, seu consolationibus spiritualibus ; *bono hominis*, seu libertate. Non raro inveniuntur animæ, quæ his omnibus simul bonis exspoliatæ conspiciantur.

2° Anima *omnium rerum expers* vocatur, quæ neque habet quæ legitime posset ha-

bere et quæ aliis ejusdem conditionis conceduntur, ut sunt *munera præcipua*, *successus* *aliorum fiducia*, *existimatio*, *auctoritas*. Talis anima nonnunquam veluti ad nihilum se videt redactam. Quam felix!

Si hucusque iis omnibus non me exspoliavit Dominus, an saltem *voluntate* et *affectu* ab iis me exspoliatum credere valeo? An nulli ex his rebus nimium adhærere videor?

II. Quare talem animam præcipuo amore prosequitur Cor JESU?

1° Quia ipse Dominus fuit in terra sic exspoliatus et omnium rerum expers. Sufficit Eum contemplari talem qualis pendebat in cruce, spoliatus *vestibus*, viribus contritis, contemptus, opprobriis saturatus, a Patre derelictus, clavibus cruci confixus, ut *vermis* non ut homo, et *abjectio plebis*. (Ps. XXI, 7.

2° Quia ardenter desiderat JESUS hominem beare; cum enim homo beatus esse non possit nisi possessione Dei sui, et omnia illa quæ modo enumeravimus, soleant in corde hominis locum occupare quem Deus occupare deberet, gaudet JESUS cum invenit animam rebus terrenis *vacuam* et proinde aptissimam ad recipiendos cœlestes suos thesauros. Fac, o JESU, ut talis deinceps tibi sit anima servuli tui.

III. Quisnam est fructus hujusmodi dispositionis? Possidebit plenius quam alii Cor JESU! Nempe aliquo modo mutuabitur

Cordis Jesu attributa, ejus *sapientiam*, ejus *potentiam*, ejus *misericordiam*, ejus *amorem:* unde fit ut talis anima mirabiliter res intelligat spirituales, opera peragat mirifica, singulari caritate miseris opituletur omnesque suo complectens amore, ut JESUS, insatiabili ardeat desiderio promovendi quam maxime gloriam Dei et animas salvandi quam plurimas. Concede, o benignissime Salvator, ut ego sacerdos tuus, licet indignissimus, aliquando inter istas beatissimas animas, omnibus rebus humanis mortuus, connumerari valeam. Amen.

Tertia classis singulariter dilectorum.

La plus mortifiée en sera la plus caressée.

I. Quænam anima dicitur *perfecte mortificata?*

1° Ea quæ ex amore JESU mortificare scit omnes *animæ suæ facultates*, ne per eas aliquid fiat quod Cordi JESU displicere posset. Sic mortificat *memoriam*, ne recordetur vel mala, vel acceptas injurias, vel gloriosa olim accepta; mortificat *imaginationem*, ne stulte et otiose vagetur, vel objiciat imagines quibus homo sensualis delectari solet; *intellectum* mortificat, eum applicando serio, præsertim rebus spectantibus ad vitam spiritualem; *voluntatem* mortificat, abjiciendo inutilia desideria, et submittendo se voluntati aliorum, præcipue voluntati superiorum.

An talis est mea mortificatio?

2° Ea est anima perfecte mortificata quæ assuevit etiam mortificare *sensus*, eos refrenando: sic oculos, ne circumspiciant curiose; *aures*, ne avidius captent rumores; *palatum*, ne cibos appetat exquisitiores; *tactum*, ne molliora vel jucundiora quærat, et alios non tangat ex sensualitate.

An talis mea est mortificatio?

3° Ea est anima quæ *corpus* pœnitentiis, vigiliis, jejuniis et aliis generibus cruciatuum mortificat, omnique utitur occasione suum erga Deum et Beatissimam Virginem testificandi amorem, voluntaria rerum jucundarum privatione.

4° Tandem ea anima perfecte mortificata dicitur, quæ mortificat semetipsam in rebus arduis et ingratis, plenissime et læto animo se conformando divinæ voluntati et motus internos exsurgentes compescendo.

An sic soleo *corpus* et *animam* mortificare?

II. Quare talis anima est Cordi JESU singulariter accepta?

1° Quia similitudinem habet cum Domino JESU, qui sic vixit mortificatus; similitudo autem parit amorem.

2° Quia perfecta hæc mortificatio nititur sine ullo dubio eximia caritate. Et re quidem vera, quinam inter homines conspiciuntur maxime dediti mortificationi? Non-

ne illi qui sincero flagrant amore Dei? Et quinam solent a confessario expetere licentiam jejunandi, se flagellandi, ciliciis et catenis acutis cruciandi corpus? Nonne spiritus ferventes? O sacerdos tepide et in famulatu Dei turpi tabescens ignavia, quam longe abes a tali animi dispositione! Abhorres vel a minima mortificatione, et hoc tibi vertetur in damnum.

III. Quisnam est fructus perfectæ mortificationis?

Mirifice *fovebitur* a JESU anima perfecte mortificata. Scilicet diffluit internis et prorsus divinis deliciis, quarum ne idæam quidem habent qui mortificati non sunt.

Ad hoc intelligendum sufficit attenta mente Vitas Sanctorum pervolvere. O quam beati, quia mortificati! Quare tam *raræ*, tam *exiguæ* sunt nostræ consolationes? Profecto quia exigua et parca est nostra mortificatio.

Quarta classis singulariter dilectorum.

La plus obéissante le fera triompher.

I. Quænam anima dicenda est *perfecte obediens?*

1° Ea est quæ obedit cum *maxima simplicitate;* quæ quidem simplicitas se extendit ad ea omnia quæ constituunt *actum obedientiæ*. Proinde extendit se *a*) ad *principium internum* illius actus, quod est *principium fidei*. Sive in magnis, sive in parvis, sive in

ordinariis, sive in extraordinariis videt *Deum Deique voluntatem.*

b) Extendit se ad *instrumentum* quo utitur Deus ad manifestandam suam voluntatem, quod est *superior*. Non distinguit perfecte obediens *quis* vel *qualis* sit superior, dummodo superior sit.

c) Extendit se ad *materiam*, sive facilis sit, sive difficilis, sive speciosa sit, sive abjecta.

d) Extendit se ad *circumstantias* temporis, loci, modi, diuturnitatis.

e) Extendit se ad *successum*. Qualiscumque sit obedientiæ exitus, contenta est anima perfecte obediens laudatque Deum.

2° Anima perfecte obediens est quæ ad obediendum omnes suas applicat facultates: quæ proinde impendit *intellectum* et *voluntatem*, ea subjiciendo *judicio* et *voluntati* superiorum; *os*, non murmurando, sed potius quæ jubentur approbando; *manum*, exsequendo fideliter jussa.

3° Anima perfecte obediens ea est quæ obedit *more* sanctorum, scilicet *prompte, sine repugnantia, cum lætitia.*

An talis est mea obedientia? An talis erit in posterum?

II. Quare Cor JESU singulari amore talem animam prosequitur?

1° Quia ipse JESUS sic obedivit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

2° Quia perfecta obedientia sibi annexas habet virtutes quæ Cordi JESU carissimæ sunt, *caritatem*, *humilitatem*, *abnegationem*, *fidem eximiam*.

3° Quia talis obedientia præbet JESU copiam ditandi *magis* et *citius* pauperculam suam creaturam ; obedientia enim duplicat meritum.

III. Quis fructus ?

Triumphare facit Cor JESU; nam 1° victoria Cordis JESU est *vinci* aliquo modo a suis creaturis ; atqui perfecte obedienti non resistit Cor JESU ; 2° obediendo tradimus JESU omnem nostram voluntatem, nostrum judicium, nos totos ; et propterea, cum sit inter *amantes communicatio bonorum*, tradit JESUS suam voluntatem obedienti animæ et omnia attributa sua, ita ut mirum non sit obedientem in omnibus quæ aggreditur loqui *victoriam*. (Prov., XXI, 28.)

« Domine JESU, per illam obedientiam, prorsus stupendam, ut ait aliquis tuus servus, qua Patri usque ad mortem crucis obediens exstitisti : da mihi obedientiam perfectam, qua in omnibus libenter, simpliciter, humiliter, velociter, hilariter, fortiter, indifferenter, cæce ac perseveranter superioribus, tamquam tibi ipsi, obediam, præmiaque et victoriam obtineam. Jube igitur, Domine, quodlibet ; præcipe per superiores, manda, remanda ; ecce paratissimum cor

meum ad omnia. » *Domine, quid me vis facere? Loquere; audit servulus tuus.* Amen.

PRO CORONIDE.

De affectibus Cordis Jesu erga B. M. V.

Dum JESUS, pendens in cruce, jamjam moriturus, piissimis oculis conspiciebat Matrem suam benedictam, stantem juxta crucem dolorosissimam, quosnam, quæso, in corde suo experiebatur affectus? Profecto experiebatur summam *venerationem*, intimam *miserationem*, ardentissima *desideria*.

I. *Summe venerabatur* JESUS in Matre sua *virtutes*, quibus videbat eam adeo excellere, ut merito jam tunc superaret, non solum omnes qui hucusque virtutibus claruerant, sed omnes etiam qui unquam splendore virtutum gloriam sibi comparaturi erant.

In specie venerabatur ipsius *puritatem*, quæ tanta erat ut præmonstrata et prædicta fuerit a prophetis ut *speculum sine macula*. Sane ab immaculato conceptu splenduit Maria ut *cælum*, quod nulla nubecula vel ad momentum unquam obscurare potuerit. « Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? Virgo erat, non solum *corpore*, sed etiam *mente*, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. » (S. Ambr., de *Virginibus*.) « O

benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate! » (Auctor operis de Immaculata Conceptione, inter opera S. Anselmi.)

Non minus venerabatur candidissimam ipsius *simplicitatem*, profundissimam *humilitatem*, invictam *fortitudinem*, et flagrantissimam *caritatem*. Roga, o Maria, dulcissimum Filium tuum, ut dignetur nobis impertiri gratiam ita colendi virtutes quas tu tam mirifice coluisti, ut et nos mereamur cordis ipsius venerationem. Hæc enim cordis JESU veneratio erit gloria sempiterna.

II. *Compatiebatur* vehementer benedictæ Matri propter *multitudinem* et *magnitudinem dolorum*. Revolve, o sacerdos, mente illa septem mysteria, quæ nominare assuevimus *dolorosa*, quæ totidem *gladii* erant quibus transfixam vidit JESUS animam Matris, et intellige quid tunc *senserit* Cor JESU. Videbat Matrem atrocissima patientem animo invicto; videbat omni dolore superiorem. Compateris et mihi, o JESU, sed quo animo vides me mala sustinentem? Concede ut in posterum generosius imiter admirabilem Matris tuæ patientiam.

III. *Fovebat*, intuitu Matris suæ, ingentia *desideria*.

1° Desiderabat ut Mater sua sibi esset simillima; hinc factum est ut eam fecerit participem suæ paupertatis, sui *exsilii*, *opprobriorumque* suorum. Scio, o mi JESU, te

idem mihi desiderare. Utinam desiderio tuo respondeam fideliter ac generose!

2° Desiderabat ut hæc sua dignissima Mater ab omnibus cognosceretur, diligeretur, honoraretur. Vehementer gaudeo, o JESU, dum video quam efficax fuerit tuum desiderium. Quis in Ecclesia non cognoscit, non diligit, non honorat incomparabilem tuam Matrem? Tam amabilis est, tam jucunda, tam benigna! Fac, o Maria, ut in dies magis te cognoscam, magis te diligam, majore te honore exaltare valeam. Amen.

INDEX.

APPROBATIO. 1
PRÆFATIO. 1
RECOLLECTIO I. 1
Contemplatio eorum quæ JESUS passus est in Horto. 2
Consideratio. De sequela JESU. 9
Examen. Circa desolationem. 12
RECOLLECTIO II. 15
Contemplatio. De osculo Judæ. 15
Consideratio. De via ad sanctitatem simplicissima 23
Examen. Circa modum pie surgendi. ... 26
RECOLLECTIO III. 29
Contemplatio. De comprehensione Christi in Horto. 29
Consideratio. De duplici effectu amoris Dei 39
Examen. Circa dilectionem Dei.... ... 41
RECOLLECTIO IV. 44
Contemplatio. De gestis apud Annam.. 44
Consideratio. De amore vocationis. ... 52
Examen. Circa modum pie decumbendi. 55
RECOLLECTIO V.... 58
Contemplatio. De gestis apud Caipham. 58
Consideratio. De meditando Evangelio. 68
Examen. Circa lectionem piam.... ... 73
RECOLLECTIO VI. 76
Contemplatio. De gestis apud Pilatum. 76
Consideratio. De meditando Evangelio (2). 85
Examen. Circa animi firmitatem.... ... 92
RECOLLECTIO VII. 94
Contemplatio. De Flagellatione JESU. 94
Consideratio. S. Joseph, suæ Familiæ protector fidelissimus.... 100

Examen. Circa modum se vincendi... 106
RECOLLECTIO VIII. 108
Contemplatio. De spinea corona JESU. 108
Consideratio. Maria, refugium sacerdotis. 115
Examen. Circa simplicitatem. 120
RECOLLECTIO IX. 123
Contemplatio. De condemnatione JESU. 123
Consideratio. De stupenda Christi liberalitate. 132
Examen. Circa modestiam sacerdotalem. 139
RECOLLECTIO X. 141
Contemplatio. De via crucis. 141
Examen. Circa quædam axiomata Sanctorum. 152
RECOLLECTIO XI. 155
Contemplatio. De primo verbo Domini in cruce. *Pater, dimitte illis.* 155
Consideratio. De vita. 163
Examen. Circa visitationem sanctissimi Sacramenti. 168
RECOLLECTIO XII. 172
Contemplatio. De secundo verbo Domini in cruce. *Hodie mecum eris in paradiso.* 172
Consideratio. De sale apostolico. ... 178
Examen. Circa detractionem. 184
RECOLLECTIO XIII. 187
Contemplatio. De tertio verbo Domini in cruce. *Mulier, ecce filius tuus! — Ecce mater tua!* 187
Consideratio. De sale apostolico (2). 192
Examen. Circa sobrietatem.... 197
RECOLLECTIO XIV. 199
Contemplatio. De quarto verbo Domini in cruce. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* 199

Consideratio. De luce apostolica. ... 206
Examen. Circa taciturnitatem. 209
RECOLLECTIO XV. 212
Contemplatio. De quinto verbo Domini in cruce. *Sitio!* 212
Consideratio. De templo spirituali. ... 220
RECOLLECTIO XVI. 226
Contemplatio. De sexto verbo Domini in cruce. *Consummatum est.* ... 226
Consideratio. De navi spirituali.... ... 234
Examen. Circa perseverantiam.... ... 238
RECOLLECTIO XVII.... 241
Contemplatio. De septimo verbo Domini in cruce. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* 241
Consideratio. S. Joseph, speculum perfectionis. 247
Examen. Circa primam Beatitudinem. 251
RECOLLECTIO XVIII.... 254
Contemplatio. De apparitione facta B. M. V. 254
Consideratio. De Cantico *Magnificat*... 260
Examen. Circa secundam Beatitudinem. 265
RECOLLECTIO XIX. 268
Contemplatio. De apparitione JESU facta mulieribus. 268
Consideratio. De persona sacerdotis... 276
Examen. Circa tertiam Beatitudinem. 281
RECOLLECTIO XX. 283
Contemplatio. De apparitione JESU facta Magdalenæ. 283
Consideratio. De praxi sacri secessus. 287
Examen. Circa quartam Beatitudinem. 293
RECOLLECTIO XXI. 295
Contemplatio. De apparitione Christi facta S. Petro... 295
Examen. Circa quintam Beatitudinem. 302
RECOLLECTIO XXII.... 306

Contemplatio. De apparitione Christi discipulis Emmaüs. 386
Consideratio. De cicatricibus Vulnerum Christi. 314
Examen. Circa sextam Beatitudinem. 318
RECOLLECTIO XXIII.. 321
Contemplatio. De apparitione Christi facta discipulis. 321
Consideratio. De B. M. V., causa nostræ lætitiæ. 330
Examen. Circa septimam Beatitudinem. 335
RECOLLECTIO XXIV.... 338
Contemplatio. De apparitione Christi facta S. Thomæ. 338
Consideratio. De amore S. Aloisii Gonzagæ erga SS. Eucharistiam. ... 348
Examen. Circa octavam Beatitudinem. 352
RECOLLECTIO XXV. 355
Contemplatio. De apparitione Christi facta plus quam 500 fratribus. 355
Consideratio. De sacerdotibus a Corde JESU singulariter dilectis. 363
Pro coronide. De affectibus Cordis JESU erga B. M. V.... 372

Typis Soc. Sti Augustini, Desclée, De Brouwer et Soc.

45210

P44.

AUTHOR

Sacc

TITLE

Series Quart

DATE DUE

STORAG